

DE BELLO RHODIO

LIBRI TRES CLEMENTI VII.

PONT. MAX. DEDICATI.

Autore Iacobo Fontano Brugensi Jurisconsulto, Iudice
appellationum Sacræ nobilisque militiæ Hiero-
solymitanæ, & populi Rhodii.

Adiuncta est insulæ Melitæ descriptio : quæ Sacris militibus
post Rhodum captam concessa fuit:

Item quia hæ insulæ nauigiis petuntur , quædam de Ventis, &
nautica Buxula ventorum indice, ex commentariis rerum quo-
tidianarum Io. Quintini Hædui, Ad Sophum.

His præmissus est, quò faciliùs libri de bello Rhodio intellige-
rentur, Commentarius de insula Rhodo , & Militarium ordinū
institutione, Theodorico Adamæo Sualembergio autore.



P A R I S I I S

Ex officina Christiani Wecheli, sub scuto Basilien-
si, in vico Iacobæo: & sub Pegaso, in vi-
co Bellouacensi. M. D. XL.



Reuerendo in Christo pa-

TRI, D. GVLIELMO QVYNONIO;

Priori Corboliensi, Cömendatori D. Ioannis Late-

ranensis apud Parisios & Stempenses, Domi-

no suo longè obseruandissimo, The-

odoricus Adamæus Sualem-

bergus S. P. D



Vm libri tres de bello Rhodio superioribus diebus excuderentur, vir amplissime, cœpi cogitare operæ premium futurum, vt clarissimæ insulæ Rhodi descriptio, cum prima ordinum militarium institutione iis præfigeretur: quò & hac accessione locupletiores facti, in publicum exirent: & ego hoc nomine, nobilissimo ordini vestro aliqua ex parte gratificarer. Hoc institutum meum cùm alii complures, tum præcipue Christianus Wechelius tui nominis studiosissimus comprobauit, & operas suas typographicas in his libris absoluendis est remoratus, dum ego, quod meditatis rationibus commentari decreueram, perfecissem. Quem paucorum dierum commentarium tibi vir ornatissime exhibui, vt qui ab eo esset elucubratus, qui Rhodon nunquam vidit, is arbitratu illius staret aut caderet, qui in ea diutissimè vixit, & ordinis Rhodii singulare decus existit. Quare vir amplissime, eundem tuo calculo approbatum, D. T. nuncupo, grati erga te animi inditiū exhibitus, qui mea studia pro tua singulari humanitate semper promouere studuisti, vt hoc nomine tantum tibi tribuere non possem, quantum hæc tua memorabilis humanitas, & prudentia eximia postulat. Et dum mentem quoque & cogitationes meas ad reliqua ornamenta tua conuertar, quæ in virtute & industria posita, in hoc nobilissimo ordine vestro mirabiliter lucent, animaduerti nulli potius q̄ tibi optimo iure has cōmentationes nostras deberi: eas ob id in suam tutelā D. T. recipere dignabitur. quam Deus Opt. Max. nobilissimæ reipub. Rhodie, & nobis, q̄ diutissimè incolumem conseruare dignetur. Lutetiæ Parisiorum ex Regio Cameracensi collegio, pridie Calendas Februarii. 1540.



De insula Rhodo, & mi-

LITARIVM ORDINVM INSTI-
TVTIO NE COMMENTARIVS, THEODO-
rico Adamæo Sualembergio autore.



Hodos(authore Pindaro) à Rhodo nympha Solis ac Veneris filia dicta, pulcherrima & libera fuit, vt Plinius scribit, & Ioui chara, qui eam(Homero authore) affluente omnium rerum copia nobilem reddidit, quod Minervæ sacrificasset, statim, vbi è Iouis cerebro processisset. Tlepolemi insula à poëtis vocata. nam is Rhodiis imperauit, & ad Troiam duxit, cuius ossa cum Rhodū relata fuissent, festa instituta, quæ corona populea celeabantur. Hæc (authore Plinio) tribus habitata fuit vrbibus, Lindo, Camiro, & Ialyso nunc Rhodo, quarum & Homerius in catalogo meminit,

Λίνθη, Ιάλυσον πε καὶ αργιόεστα καμηρος id est,
Lindon, Ialysonq; dein claramque Camiron,
Pomponius libro 2. inquit, In Rhodo tres quondam erant
vrbes, Lindos, Camiros, Ialybos. Lindos verò quæ in monte
sita, orientem spectabat, nobilis fuit insigni Palladis tēplo,
quæ India ob id vocabat: & natali solo Cleobuli, in septē
Græciæ sapientum numerum relati. Camiros clara fuit Pi-
fandro poëta vetustissimo, qui Herculis gesta duobus libris
descripsérat. Ialybos Telchinias olim aluit, maleficum genus
genus hominum, & præstigiis infame. Proinde Ouidius Me-
tamorphoseos 7. Ialybos Telchinias vocat, & Dionysius
Apher Rhodon è regione oræ Aegyptiacæ sitam, Ialybo-
rū, hominū sedē hoc carmine appellat, αἴ τε δὲ ωρίζει
Αἴ γυπτίας βόδις δέηται ιάλυσιων ξένοι αἰδεῖσι.

In Ialyson deinde duæ aliæ vrbes commigrauerunt (vt Plinius teste) Rhodiorum vrbis eo loco iam sit, quod olim Ialybos sita fuit, nempe super orientali promotorio, quæ vt Strabo scribit, portibus, viis, & mœnibus, cæteraq; fabrica tantū alias excellit, vt æqualis & præstātor non reperiatur. Plinius lib. v. c. xxxi. Sed pulchrerima & libera Rhodos (inqt) circuitu cxxx. M. pass. aut si potius Isodoro credimus, c. iii. Distat ab Alexandria Aegypti DLxxviii M. ut Isodorus

a iii tradit:

tradit: vt Eratosthenes cccclxix milia: vt Mutianus D. à Cy
pro clxvi. & vt Strabo lib. xiiii. scribit , ambitum habet sta-
diorum noningentorum & viginti. In hac insula nunquam
cœlum ita nubilum est (authore Solino) vt in sole Rhodos
non sit, quod & Plinius testatur , & de Syracusis Cicero in
Verrinis actionibus idem tradidit, ob id fortasse ab Ouidio
Phœbæa Rhodos appellata. Præterea hæc vrbs Asiatica e-
loquentia, & mathematicis disciplinis maximè claruit. Ae-
schines enī (vt autor est Fabius) hunc locū exilio delegerat,
& eō studia Athenarum intulit: fuitq; Rhodium dicendi ge-
nus inter Asiaticum & Atticum velut medium, & ex utro-
que mixtum, vt aliquid videatur habere gentis , aliquid au-
toris , vt cum Fabio loquar . Quapropter in hac floruerūt
viri, in arte oratoria, philosophia, & disciplinis mathema-
ticis clarissimi: vt Apollonius Molonis, orator vñus in cau-
sis scriptorq; præstantissimus, quem vt Cæsar & Cicero au-
diren, Rhodum nauigarunt . Præterea Panætius Rhodius
Stoicæ professionis philosophus Scipionis Africani præ-
ceptor, & huius discipulus Posidonius, qui Rhodi docuit,
eumque Cicero audiuit. Mathematica studia adeò hîc vigu-
erunt, vt Aristippus (autore Vitruvio) in Rhodiensium lit-
tus delatus, cùm animaduertisset Geometrica schemata ibi
descripta, dixerit ad comites, hominum uestigia video: illos
solos homines esse significans, qui Mathematicis disciplinis
imbuti essent. Quæ omnia effecerunt, vt Rhodiorū respub-
lica bene initio instituta , melius administraretur, & quām
diutissimè libera & inçolumis permaneret. Strab. lib. 14. de
Rhodo loquens inquit, θαυμασθὲν τὸν καὶ δίνομα , καὶ καὶ ἀδιμέλεια
πόλες περὶ τὴν δῆμον τολιτεῖαν, καὶ τὰ νωρᾶντα αὐτὸν ἐπαλαωσιν γράπτοι το-
λυρ χρόνον, καὶ τὰ ληστεῖα καθάλε, οἱ ἁρμονίοις ἔχεισον φέλει. Στὸν βα-
σιλεῖον τῷ φιλεργοματίοις περὶ Καλελησιμ. αὐτὸν μόνον τε στεπέλεσι,
καὶ τολοῦς αἰαθήμαστην ἐπορεύθη. Mirifica est æquitas & diligen-
tia Rhodiorum, cùm in reliqua repub. administranda, tum
circa res navales: & hinc multo tempore maris imperiū ob-
tinuit, & piratas sustulit, & Romanis amica fuit : & regibus
Romanis & Græcis amicitia iunctis. per quos & libera man-
sit, & multis fuit exornata donariis. Idem & Cicero testatur
pro lege Manilia scribens, Quæ ciuitas anteà vnquam fuit
non dico Rhodiorum, quorum usque ad nostram memori-
em disciplina naualis, & gloria remansit. Quare & lex Rho

dia

dia de iactu apud iureconsultos nostros in usu permansit,
quam & Augustus Imperator cum Antonino approbavit,
quatenus Romanis legibus non aduersaretur, autore Vo-
lusio Metiano, lib. ff. xiii. ad legem Rhodiā de iactu. Eudē-
moni enim Nicomediensi supplicanti, qui naufragium fe-
cerat in Italia, & direptus esset a publicanis Cycladas insu-
las habitantibus Antoninus rescripsit in hæc verba. Εγώ μὲν
τὸν κόσμον καὶ εὐθύνην τὸν νόμον τῆς θαλάσσης, τῷ νόμῳ τῆς ποδιῶν πρινέσθω
τῷ ναυτικῷ, οὐ διὰ μήτης τῆς ἀμετέρεως αὐτῷ, νόμος εἰσαπονταί. Οὗτος δὲ αὐ-
τὸς καὶ ὁ θεότατος Αὐγούστος ἐκρινεῖ. I. Ego quidem mundi domi-
nus, lex autem maris, qua lege Rhodiorum nautica iudice-
tur in his in quibus nulli nostrarum aduersatur. Idem enim
& Diuus Augustus censuit. De hac vide Alciatum lib. di-
spunctionum 2. cap. 5. Præterea & Constantinus Harmeno-
pulus εἰς τὴν περιχείρην νόμου lib. 2. titulo τῷ ναυτικῷ, inquit, τὰ ναυ-
πικὰ πάντα, καὶ ὅσα κατὰ θαλασσῶν πρινέπον, ποδιῶν πέμπεται νόμῳ καὶ πα-
τέται τῷ ποδιῶν στηγάκειν νόμον, ὅπερ μὴ δῆλον νόμῳ εἰσαγόντι τῷ
τῇ ποδιῶν νόμοις διέσκιπται. εἰσὶ γὰρ οἱ τῇ ποδιῷ νόμοι, τῇ δημητρῷ ναυ-
πικῷ νόμοι, παλαιότεροι. I. Res nauticæ, & quæcunque in ma-
ri iudicantur, lege Rhodia deciduntur, & secundum leges
Rhodias dirimuntur, cùm alia lex Rhodiorum legibus cō-
traria non reperiatur: Sunt enim Rhodiorum leges, aliis nau-
ticis legibus vetustiores. In hac insula, cùm alia multa, tum
præcipue Solis Colossus in admiratione fuit, septem orbis
miraculis connumeratus: quem Rhodi fecerat (autribus
Strabone & Plinio) Chares Lindius Lysippi discipulus, se-
ptuaginta cubitorū altitudinis. Hoc simulachrū post quin-
quagesimum sextum annum terræ motu prostratum, sed ia-
cens quoque miraculo fuit (eodem Plinio libro 34. cap. 7. au-
tore). Pauci pollicem eius amplectuntur. maiores sunt di-
giti quam plerique statuæ. Duodecim annis tradunt effe-
ctum ccc. talents, quæ contulerant ex apparatu regis De-
metrii, qui moræ tœdio Rhodium obsidione fatigare desti-
tit. Ab hoc Colosso, quidam Rhodios Colossenses, ad quos
D. Pauli epistola scripta extat, vocatos male existimau-
runt. Illi enim in Asia sunt ab urbe Colosse dicti, que ad Ly-
cum fluuium sita est, cuius Strabo in xii. & Herodotus Hie-
ronymusq; meminerunt. Præter hunc solis Colossum cen-
tum alios Rhodon habuisse Plinius est autor, & Mutianus
ter. Cos. septuaginta milia signorum Rhodi fuisse prodidit.

Cæterum Rhodii Romano populo semper auxiliates fuerunt, maximè cōtra Philippum, vt ob id corona aurea, Rhodiorum populus virtutis gratia donatus, ciuitasque Rhodiis data fuerit, authore Liuio libro primo de bello Macedonico. Contra Antiochi classem, cui Annibal præerat, multas naues supplemento miserunt, quibus meritis, victo Antiocho, Cares, Lydi, nonnullæque aliæ ciuitates vicinæ, à Romanis, Rhodiis attributæ fuerunt. Et in ciuili Romanorum bello, Cassius Rhodios adortus, tametsi à partibus abstineret, cuperent, eorūmque vrbe post cruentam pugnam tenuit. Sed libera tamen ad Vespasiani usque principatum mansit, qui primum adempta libertate in prouinciæ formam eam rededit. Deinde sub Phoca Imperatore Romano, homine ignauo, & frequentibus adulteriis infami, Saraceni quorum opes tum maximè creuerant Asia occupata, Europam sunt aggressi, sed Rhodos prius petita est Mahuiæ ductu, que tāetli ad Asiam spectat, erat tamen adhuc sub imperio. Barbari insulam cum vrbe vi tenuerunt: & Colossi, multis ante annis terræmotu prostrati, reliquias, noningentis camelis clittellariis (authore Sabelllico) extulerunt. Id enim mihi verisimilius esse apparet, quam Saracenos Colosson demilitos fuisse, vt quidā putarunt: nisi aliū præter eum qui solis vocabatur, intelligent. Inde Saracenorum imperio ad sacrū usque bellum paruit, tum circa undecimimum supra millesimum humanæ salutis annum, Saracenis fuit à Christianis erepta, quando & Hierosolimitana vrbs fuit recuperata, cùm iam quadringentis & nonaginta annis in Barbarorum potestate fuisset. Quo tempore Hierosolimis tres ordines militares fuerunt instituti, ob Christianorum multitudinem qui religionis ergo sanctam vrbe inuiserent, nempe Hospitaliorum S. Ioannis, Templariorum, & Teutonum sancte Mariæ. Et ex his primus fuit ordo Hospitaliorum. Ioannes Hircanus Maccabæorum unus, primus pauperum xenodochium Hierosolimis constituit, quod capta urbe à Sultanō Aegypti dirutum fuit. A quo deinde Latini impetraverunt ius ædificandi templi diuæ Virgini, vbi sacra Latino ritu fierent, illique abbas præfuit. Est præterea & aliud templum ædificatum cum cœnobio quod mulieres exciperet, vt separatim à viris habitarent. Et cùm nimia peregrinorum copia eò confluenteret, vt his duobus cœnobiis recipi non posse

sent, additum xenodochium, valetudinariūmque cum ædile
cula D. Ioanni sacra. Alii non Baptista, sed S. Ioanni Ele-
mosinario ædem dicatam asserunt. Fuerat enim is patriarcha
Alexandrinus sub Phoca Imperatore, qui ob liberalem
in pauperes largitionem illud cognomen meruerat. Vrbe
deinde sancta à Christianis occupata, tum quidam vir pius,
qui peregrinos ægrōsque in eo xenodochio diu curasset, ca-
stitatem & obedientiam professus, & cruce alba ad dextram
amiculi insignitus, ordini initium dedit: qui à Patriarcha &
Pontifice approbatus, & ab Honorio secundo confirmatus
fuit, & Hospitalarii vocati. quorum mentio fit in c. canonica
de sententia excommun. Et cùm peregrini sacra loca in-
uisentes, aut ab impiis spoliarentur, aut misérè trucidaren-
tur, nouem viri nobiles & vitæ sanctimonia commendati,
inter quos Hugo Paganus, & Gotthofredus à fano Odema-
ri principem locum obtinebant, voverunt se per templa &
sacra loca peregrinos comitatueros, & contra omnem impi-
orum vim defensuros. His area attributa fuit pro téplo do-
mini ad ædes struendas, quo se reciperent, vnde nomen sunt
adepti, vt Templarii vocaréntur. Amictus initio nullū discri-
men, sed anno 1128. concilio patrum in Tricassibus habito,
Honori pontificis, & Stephani patriarche iussu togam can-
didam sumpserunt, cui ab Eugenio papa crucis rubræ insig-
ne fuit additum. Et hoc modo in ducentos annos Templa-
riorum religio propagata, eorūmque res vbique, sed maxi-
mè in Galliis creuerunt. Postremò circa annum millesimū
trecentesimum octauum sub Clemente quinto ordo Tem-
plariorū abrogatus fuit, multis militibus viuis exustis, quòd
in fœda vitia prolapsi, impiam religionem cum Turcis &
Saracenis profiterentur. Quidam scriptores tradunt eius
seculi principes eorum opibus inuidisse, & infontes damna-
tos, vt in eorum possessionem fiscus veniret. Nullum tamen
vnquam spectaculum extitit, in quo maiora fuerunt constá-
tiæ exempla. Teutonum ordo tertius fuit, qui Hierosoly-
mis cœpit. Vir quidam pius Germanicæ nationis domum
suam in vrbe sacra xenodochium constituit, quòd Teutones
illuc peregre venientes reciperentur, addita deinde ædici-
la diuæ Virginis sacra, Patriarchæ autoritate. Mox com-
plures nobiles extiterunt, qui castitatem & obedientiam vo-
uentes, ordinem instituerunt, qui à Celestino pontifice con-
firmatus

firmatus fuit, acceptis in tog a candida, pullæ crucis insignibus. Qui ordo principem habet virum, genere nobilem, & rei militaris peritum. Tandem post amissam Ptolomaïdem circa annum 1307. sedes huius ordinis primaria in nobilé & amplissimam arcem Mariæburgum traducta fuit, & vniuersam penè Prussiam impia religione imbutam deuicerūt, & res eorum per utramq; Germaniam insigniter creuerūt. Fuerunt & in Hispaniis multi militares ordines instituti, ad impios Maurorum conatus reprimendos, vt milites S. Iacobi, milites de Calatraue, & milites Iesu Christi in Lusitania, & alii complures. Cæterum post Hierosolimitanum regnū à Barbaris iterum occupatum, omnibus sacræ militiæ ordinibus inde pulsis, Hospitalarii Templariorum opibus aucti & sacri belli nomine, ingenti auri vi vndique conflata, classem instruētes munitissimam, Turcica arma ex insula Rhodo eiecerunt, quæ Clementis quinti pontificis iussu, iisdem tuenda datur, anno 1309. ex quo milites Rhodii vocari cœperunt. Et Rhodum strenuè contra omnem Turcicam potentiam multis annis tutati, maximè sub Calisto tertio, & Sixto quarto Romanis pontificibus. Tandem anno 1522. antiqua illa Rhodos Christiani orbis propugnatrix, terra marique validissimè oppugnata, Turcarum tyranno dedita fuit, cùm omni Christianorum principum auxilio destitueretur: quod bellū hisce libris tribus à Iacobo Fontano eleganter describitur. Faxit Deus opt.

max. vt quæ ciuili Christianorum bel-

lo nobis fuerit crepta, hac tam

festa pace & concordia

Christianiani orbis è

Turcarum

tyran-

nide vindicetur.

De ventis, & nautica bu-

XVLA VENTORVM INDICE,

ex commentariis rerum quotidianarum Io.

Quintini Hædui, ad Sophum.



Auem quum Massiliæ conscedissem ad idus Septembres (Sophe) diemq; vnum, & nocte nauigando promouissemus: vbi illuxisset, euaneſcentibus terris, mare vndiquaq; & cœlum intuitus, ipſe tum intra me cogitare cœpi, quām nihil infra lunā effet, quod non hominis excellentiæ, vel temeritati potius, improbitatiq; ſupponeretur. Nihil tam abruptum, tam inacceſſum inueniri, quō non arte, ingenio, & frequentius audacia penetrarēt homines. Terras habebant oceano abſciffas, quas incolement. Aquis, immitti, & inexorabili elemento, erat natura interdiſtum. Ratibus primò tentatum eſt. Paruulo hoc inuitati ſucceffu, nauem pōſt inuenerunt, eamq; non vniuſmodi. Malū, antennam, vela, remos, cæterasq; nauis partes fecerunt. Syderum obſeruationem in nauigando, ventorum rationem excogitarunt. Breuiter, paulatim eò deuentum eſt, vt homini terrestri animali iam non ſit maius cum terra, quām cum aquis cōmercium. Adeo (quod cecinit ille) Nil mortalibus arduum eſt. In hac me reputatione incredibilis inceſſit cupidio, ſi quā possem, cognoscendi quæ nautæ sydera, quos ventos haberent fuorum cursu rectores, & gubernatores. Hoc primum diſcendi tempus nactus eram. Et inciderā in homines huiuſmodi rerum experientiſimos: nec inhumaniſtos illos, vt mare pati. Tales enim ſæpe ſunt, quale & hoc elementum, quo non aliud barbarius. Qui roganti mihi, toto itinere, quām longū fuit, miranda naturæ ſecreta, legesq; narrabant, Ipfis non diſcendo, ſed experiendo cognita. Ideoq; omnia apud eos incerta, & incóperta ratione, non fallen te tamen. Neque alicui tam mirabile videri debet homines multo tantum vſu, innumerabilibusq; cùm fortunarū, tum corporum experimentis edoctos, artificii ſui, & operum nullam afferre rationem, quām ſi aliquam omnino redderent: quum in huiuſmodi graues alioqui autores, & literati, quiq; ſubtiliter

subtiliter ista peculiariore studio consecuti sunt, plurimo frequenter pudore obmutescant, aut frigidiusculé respondeant. Ut transeam multa esse quæ vsu facilius q̄ ratione deprehenduntur: & quæ nullis sint argumentis inuestiganda, tantum experimentis cognoscenda. Rudis est nautarum vita, atq; sine literis: non minus tamen ingeniosam esse apud hos obseruationem, q̄ (si qua tamen est) apud philosophos rationem credo. Ex auditis, & ex visis ea tantum quæ aut vo lui, aut potui intelligere ludes in literas misi. Vētos ante oīa.

Cœlum mihi (quod ignotū nulli video) in quatuor partes diuidebant. Est oriens, quā sol oritur. Occidens, quō demergitur. Quā solis velut decurrentis est iter, meridies. Ex aduersa parte Septentrio. Sunt in his quatuor cœli positib; venti bini. Duos habet oriens. Totidem occidens. Reliqui in reliquis. atque ita vētos octo obseruant nauigantes. Statos quidem illos, & perspirantes: quos terræ omnes & orbis totus sentit: & ideo principales nominant. Ratis eos temporibus naturæ spirare vicibus suis credunt, fine vnicuiq; & die dicto. Ita ut proximè cadenti contrarius surgat, præterq; dum hyemat. Tunc enim cœlo niuibus, imbris, horrédis tempestatibus contracto, nullo ruunt ordine, inuicem decertantes, cedere indignantes. Ventorum tum furiis vndæ inter se contrario iectu concurrunt: alterq; fluctus alteri renitur. Sæuit tum mare tremendum mugiens, intumescit, alterno gurgite velut bilem in terram euomens, infesta quadam volutatione nauigantes atrociter iactat, ita ut frequenter aliò ventus, aliò præcipitet vnda. Qua causa non injuria putarim id temporis, hominibus ob sequitiam tempestatū conclusum mare. Antè quoq; præcepit Hesiodus hybernis mensibus abstinendum. Quod tantum prudētes illi vere primo, dum chelidonia monet, hoc est, à vernis fauoniis aperiunt. Romanarum enim legum præscripto ex Calendis duntaxat Aprilis in diem Calendarum Octobris suscipienda nauigatio est. Non equidem sine periculo hyberna maria, ut antea ignorarim, haudquaquam esse tractabilia prima mea nauigatione didici. Vix enim sex mensibus confecimus, quod suo potest tempore sex diebus absolui. Et ausim dicere, aut paucos aut nullos nobis, quum per cœlum licuit, ocio periisse dies, si modò vectoribus nauarchi non mentiebantur. Sed redeo ad ventos. Ab ortu flant subfolanus, & vulturnus.

L. 3. de naufragiis
lib. xi. C.

turnus. Ille Græcis Apeliotes, hic Eurus. Ab occasu Faunius, & Corus: Græcis dicti zephyrus, & Argestes. Dat nobis meridies Austrum, & Africum. Austrum Græci nuncupant Notum: Africum, Lyba. Septentrionales sunt Septentrio, quod Aparctias: Aquilo, qui Boreas. His octo numerosiore ratione medios alios octo intericiunt: necdum finis. Rursus enim & alios maiore numero, quartis inter superiores regionibus collocant, sed sine nomine. Quos omnes interfecantes cuiusdam nauticæ figuræ radioli signant. Habent enim nautientes vasculum quoddam, sciotericu horologii instar (Buxulam dicunt, quod(puto) vas illud è Buxo primum tornari cœpit, à quo ductum verbum. & Italix Buxula pyxidem sonat.) vbi hos notis certis descriptos legit, is qui in puppi clavum tenet, totumque nautis iter gubernat. Circinata est figura, in cuius media mensura circumscriptus est rursus parvus quidam circulus, ceu totius figuræ umbilicus. Per hunc medium transuersa currit linea ab exortu equinoctiali ad occasum equinoctiale, duos è principalibus indicans ventos, Subsolanum, & Faonum. Dicitur deinde & alia linea à Septentrione ad Meridiem, Aparctiam, & huic aduersum Austrum ostendens. Post, aliæ duæ sunt lineæ obliquæ à Septentrionis dextra, lœuaque ad Austri dextram: lœuamque descendentes per eundem umbilicum omnes. Quæ dextra est, ventum aquilonem habet, ex cuius aduerso flat Africus: Lœua est ab occasu brumali Corus. Ex eius aduerso Vultur nus. In ea, quam dico, figura cæteris est insignior linea, quæ Septentrionem indicat. Cui ferrum subiectum est eiusmodi, vt septentriones versus suapte velut natura semper conuentatur. Quod ideò fit, quia magnete contactum est. Cuius lapidis, inter eius mirabilia multa, tanta est cum polo arctico conuenientia, vt (res ardua & immensi secreti) tacito quodam naturæ foedere, si ferrum attigerit, continuo materia hæc vires ab eo accipiat, retineatque longo tempore, semper in alterum terræ verticem austriño aduersum respiciens. Ut vel hinc iam nihil miri sit, quod lapidem illum esse animatum philosophantium nonnulli scripto prodiderint, & sensus illi, & pœnè manus tribuentes. Modica sunt eius fragmæta, quaternas vncias (quantum vidi) non excedentia. Is qui mihi exhibitus est, caute erat nigra, in cœruleum vergente, nigro musco, ceu barbulis quibusdam magna sui portione

A obsitus.

Calamita nautarum rectrix.

Magnes.

obsitus. In quo præcipuum eius vim inesse prædicabant. Miror equidem Plinium tanta rerū varietate, & præterea clas- se ducta, de huiusmodi lapidis natura, nauigandique arte in historia sua nihil reliquissit, quum tamen multo minora, mi- nusq; utilia non raro tractet. Nec hunc (quod ipsi vidimus) in Ilua insula nasci. quum tamen ibi ferri metalla gigni scri- pserit. Magnetis vim nautæ nouerunt (si tamen ille verus est magnes, de hoc enim nihil in veteribus philosophorum me moriis legitur) nomen ignorant. Calamiten appellant: quasi lapis hic vlla parte referat arundinem, fruticem ve aliquem. Est profecto calamites longè alius à magnetæ, si modo fides vlla est in autoribus. Septentrionum igitur obseruatione to- to nostro mari nauigatur. Vnde facillima est cognitio, qua quisque parte spiret ventus, & quò vehat. Tamen si eodem sè pe vento, modò ne grauis nimis & atrox ingruat, aduersis velis in contrarium nauigetur. Sic enim se temone librant, sic vela subinde mutant, vt adspirare dicas. Ac multum li- cet à Græcis, Latinisque ventorum appellationibus diuersè sint, quas vulgariter nautæ usurpant: multoque minus terre- stres nostræ conueniunt: aut hæ quibus pro linguae diuersi- tate in mari Gallico, atque oceano vtuntur: faciliter tamen con- iectura rem esse eandem, præsertim septentrionibus cogni- tis, deprehendimus.

Addam, quòd si quando sic in altum processere nautæ, vtne è mali quidem cacumine conspicua sit eis terra, membrana quadam mare, & maritima omnia geometrica ratione depi- cta gerūt (charta marina vocatur) vnde cum circini auxi- lio omnia constant indubitata, & viæ quantum sis emensus: & quām propè abes à petito portu, quāve sit illuc eundum, obseruatione minimè fallaci, aut dubia. Non puto vlla in re magis humani ingenii vim neque perspectam, neque ex- ercitam, magisve mirabilem, quām mari tractando. Nau- les structuras, machinæsque, anchoras etiam pondere vix cre- dibili, facile tamen reuocabili cùm iactæ sunt, prætero. Et etiam tantum sunt hæc credituri, qui videre. In hoc homi- num genere (quod stupeas) diuinitas quædam, & cœli socie- tas inest futuri euentus nuncia: quam sibi continuata, & soli- ta vsus meditatioue compararunt. Habent sua futurarum tē- pestatum prognostica, quæ ferè innumera posteriores à ve- teribus accepere venturos ventos prodentia. Naturæ (vt cre- dere

dere par est) mirifico in genus nostrum amore : quæ mitis, indulgensque mater sua noluit hominem destitutum prouidentia, qui sic suæ vitæ prodigus ventis, mari, malisque firmis tabulis se ipse, repugnante dea, temerè committeret. Solem obseruant & orientem, & occidentem. Nubes cœlo discurrentes, aut in cacuminibus montium confidentes. Habent & à mari suas significationes, & à piscibus. Delphinos sæpe magna cum voluptate cernebam tranquillo & placido mari lascivientes: qui qua ex parte veniebant, magnos secum & vehementeris flatus, verius quam ventos afferebant. Gauiae, Gauiae aues, aues sunt aquatice, gregales, acuto rostro, pernicissimi volatus, in petris nidificat, corpore paulò minores anatibus, mègis non maiores, hoc nostro mari frequentes, candido primùm colore, post cum annis bona sui parte in fuscum abeuntes. Naves circumvolitant, nil longo valde cursu recesserint à terra. Mirumquam sint ipsius naturæ occulta iudicia: non sum minus fallax venturi signum expertus. Siquidem hæ concursantes, & singulu quodam quasi latrantes, crebraque ingeminatione eandem vocem repetentes, orientales ventos præfagiunt. Imò si quis attendat, suo tum cantu propriam vocem glutientes, Eurum præcinere videntur. Stata quoq; habent nautæ sydera, cœlōq; affixa, quorum motu ad præstitutos dies interueniunt grandines, imbres, cæteræq; tephastates expectantur. Sed sunt inter cætera nauigantibus magna in religione lunæ præfagia, quam omnium quæ in cœlo prænoscit possunt, magistrum arbitrantur. Huius tempora in numeros digesta tenent: quod prius Vergilium fecisse scimus. Salomonis calculum nominant: quo, subtilitate quadam arithmeticæ, & primam, & quintam, & quartam decimam, & decimam quintam lunam cognoscunt. Inter omnia autem quartus eius recens nascentis ortus menstruum illis ventum prædictit: habeturque certissimus autor. Sed ista scrupulosus persequi non est institutum. Nec usq; adeò magnifice me circumspicio, ut si maximè velim, me tamen posse iudicem: in hac præsertim inexplicabili ventorum ratione, syderalique difficultate, quam sensere etiam periti. Pauca quædam, animi causa, eadèmque leuissimi admodum momenti, & confessa omnia attigi, dum velut ferias quasdam à studiis inter nauigandum ago. Altiora si petas, doctius ociosæ philosophorum tuorum scholæ tractabunt. A quibus tamen adhuc

A ii desidero

desidero, cur (id quod nemo in mari quotidie non videt) in
aqua facilius onera moueantur? cur non leuius inania vasā
extrahantur, quam plena? Sophe, non ignoras in qua sem-
per vixerim hæresi, adhucque viuam: Minime in naturæ o-
peribus ambitiosè quærendam esse rationem: solam eius vo-
luntatem sufficere. Quæ mea opinio breviorem certè ac ie-
coniorem fecit hanc epistolam. Adde etiam iam me prorsus
ab humanioribus studiis alienum, nihil præter remos, & ru-
dentes, & scaphas, & nautas, & nautica celeumata sapiētem:
ne tu fortè amoeniorem canticem desideres. Ita ut nunc
nihil expectare debeas illius Quintini, quem quondam vi-
disti, & instituisti. Vtinā & hunc (si qd eius supereft) & illū
prorsus mihi exuere liceret in Christo, qui solus tem-
pestatis hujus incerta bono serenitatis amo-
uere potest. Optime vale. de nauि
in freto ad Messanam. sex-
to die Ianuarii.


VENTORVM NOMINA.

Orientales	{ Subsolanus. Apeliotes	Leuanté. Oest.
	{ Vulturnus. Eurus	Syrocò. Sudoest.
Occidentales	{ Fauonius. Zephyrus	Ponenté. West.
	{ Corus. Argestes	Maistralé. Nordvvest.
Meridionales	{ Auster. Notus	Mezoiornò. Sudt.
	{ Africus. Lybs	Lo besch. Sudvwest.
Septentrionales	{ Septétrio. Aparcias	Tramótana. Norde.
	{ Aquilo. Boreas	Gregalé. Nordoest.

Contrarii venti.

Subsolanus	—	Fauonius.
Vulturnus	—	Corus.
Auster	—	Septentrio.
Africus	—	Aquilo.

Nauticæ Buxulæ figura.



A iii CLEMENTI

Clementi vii. Pont. Max.

JACOBVS FONTANVS FE-
LICITATEM.



VI in Decretis canonicis summum Pontifi-
cem soli comparauerunt, videntur mihi Bea-
tissime pater, admodum diligenter confide-
rasse æqualem vtriusq; humanis in rebus po-
tentiam. Ut enim hoc recedente nox, ori-
ente fit dies: ita illo mortuo vbique atra quædā,
mœsta, incompositaque rerum facies occurrit. Nihil vndiq;
niſi mœror, niſi luctus. Verūm cùm in demortui locū quī-
piam suffectus populo renunciatur, repente nouam quandā
lucem exoriri videmus, & omnia illa quæ priùs inter se pes-
simē cohærebant, in mutuam velut gratiam atque ordinem
decentissimum conuenire. Ad ecclesiasticam imprimis dig-
nitatem redit sua autoritas, ad magistratum debitus honor,
ad populum vtilis & necessaria obedientia: fontibus suppli-
cia, virtuti præmia parata sunt. Verum me dicere, & nihil
ad gratiam, aut adulacionis cauſa, testis est, pater Beatissi-
me (vt fileam interim reliquam omnem Italianam, imo orbē
Christianum vniuersum) alma vrbs tua Roma. Quæ nunc
nuper obitu Adriani vi. pont. max. tam ingens vulnus con-
cepit, vt ruitura, & supremam lucem haurire ab omnibus pu-
taretur: modò autem te prius Iulio Medicōque renunciato,
nunc Maximo Pontifice & Clemente, apparet exhilarata,
& quasi ex fati fauibus, orcique tenebris ad vitalem lucem
retracta: spondetque sibi de hostibus suis Turcis, atque hæ-
reticis insignem quandam, & quam nulla vnquam poterit
silere posteritas victoriam. Clamat malis suis cōtigisse eum
medicum, qui præfens non temporariam aliquam sanitatem
præstabit, quam iam intra ima præcordia sua sentit, testibus
tam multis effusæ lætitiaz signis, tot faustis acclamationibus
sed perpetuam eandemque tales qualem habuit florente
maximè imperio & nomine Cæsarum. Sperat etiā quod cle-
mentia tua Italiam suam tumultu, factionibus, impiisque ar-
mis liberabit. Confidit quod autoritas summi pontificatus
tui æternam per sœcula pacem inter principes Christianos
componet.

componet. Nec immeritò hanc confidentiam & meliorum
temporum spem Roma Latini imperii caput ac domiciliū
concepit, quandoquidem & ipsa hodierna umbra Græci im-
perii captiua Constantinopolis idem sperat, anxiè multis
cum votis manumissionem & libertatem à T.S. expectans,
nec frusrrabitur illa diu, aio, dum ingenium, felicitatem, ex-
imiāmque in rebus gerendis prudentiam S. T. considero.
quam Deus optimus max. neque temerè, neque inconsultò
in Beatissimi apostoli & vicarii sui locum elegit. Atque v-
tinam ille hanc diem me viuere finat, qua S. T. videre pos-
sim lupo interno & domestico interempto, de externo ho-
ste Solymano triumphantem. Quanquam non satis fortas-
se rectè dixi externum hostem, qui vi, ferrōque ouile T.S.
non uno loco ingressus, oves pasture tuæ commissas à Chri-
sto, & te Christi vicario ad suum Mahumetem alienat. Ve-
rè potiar omnino & breui voto meo, nec inuidet (spero)
mors, si S. T. expeditionem in illum suscipiat. quod vt faci-
at, non debeo ego miser homuncio illam nec tardam nec
immemorem adhortari. Satis illam monet, si non multorū
aliorū summorū Pontificū conatus, certè vrgentissima ipsa
necessitas. Aderit illi sacrū, piūmq; & necessariū bellū mo-
lienti in Christiani nominis hostes Christus ipse. Sequentur
signa tua maximi & strēnui quique duces. Imprimis Sancti-
tatis tuæ obedientissimus filius princeps meus perillustris,
Philippus Vilerius Liladamus, magnus sacræ, nobilisque
Hierosolymitanæ militiæ magister. De quo viro & equitum
crucigerorum ordine, cùm audirem aliquos Romæ, vbi eti-
am marmora loquuntur, & linguæ hominum sunt liberri-
mæ, non solùm liberè pronunciare, sed etiam iniquè atque
iniustissimè, quod necessariū est his accidere, qui nec partē
audiunt, nec rem intelligunt. Volui seruus, quoquo possem
modo, domini causam tueri, & non tantum ditionē Rhodiam,
quæ sola vtranque paginam facit alpha & ω maledi-
corum: sed etiam ipsam oppugnationem, imò omnium quæ
tota semestri obsidione, & ante & post eam vtrinque tam ab
obsessis, quam obsidentibus, & fortiter, & impigrè acta ge-
stāque sunt, narrationem uerissimam omnium oculis & le-
ctioni exponere. Quam dicent multi (sat scio) vacars elo-
quentia. at ego non eloquentiam, sed fidem mihi proposui
in historia, quam tuo sanctissimo nomini Beatissime pater,
do,

do, dedo, & addico. Est (non eo inficias) opus pontificalia dignitate multo inferius, sed nemini magis inscriptum oportuit, quam ei, cuius cum autoritate tum gratia & tutius & commendatius in lucem ac manus omnium venire posset. futurum enim hac via spero, ut desinant quidam veritatem & per se potentem, & tuo numine adiutam calumniari. Si autem sint ingenio prorsus tam immedicabili, ac lingua adeo virulenta, ut melius carbonem ignitum quam verbum maledicentrum intra fauces retinerent. His quandoquidem Christianus sum, nihil grauius imprecari, nec debeo, nec possum, quam quod Christus ipse in cruce pendens, Pater ignosce illis, quia neisciunt quid faciunt. Vale. . .

IN SIGNIS VIRI IACOBI FON
TANI BRUGENSIS IVRIS CONSVL.
TI DE BELLO RHODIO LIBER PRI-
MVS FELICITER INCIPIT.



R AE F A R I M I H I L I C E T
quod professi plæriq; sunt rerum scriptores,
bellum maxime memorabile, omniū que vnu-
quam gesta sunt, me scripturum (Sic Liuius,
sic ego, & fortè verius) quod magnus Turca-
rum Tyrannus Solymanus terra, & mari ges-
sit cum Equitibus diuo Ioanni consecratis, & Imperii Christi
ani limites ad Orientem defensantibus : nunquam enim præ-
lium tam crudele, & atrox, mars æque dubius fuit: Norūt qui
mecum in parte laboris & periculi fuere: Credet facile quis-
quis sacre & nobilis militie (nullius enim nomē recipitur nisi
ad aram, & exhibito indice natalium) olim institutum, & ha-
ctenus obseruatū pugnandi cum Turcis morem animaduer-
terit: Tum horum opes & potentiam , qui vilibus & incertis
primordiis (nam originem suam, nec ipsi quidē satis tenent)
ab antris caucasi debellata initio Asia, deinde Thracia, postre-
mò reliqua Græcia , duobus florētissimis imperiis Trapezū-
tio & Constantinopolitano euersis, omni prope Illyrico per-
domito, in Italiā vñq; (Hydrunte capta quæ in Italia & Cala-
briæ finibus est) penetrauerunt . Et recenti adhuc memoria,
quasi hesternæ diei, Sultano vno post alterum vita & impē-
rio priuato , totam Syriam cum omni Aegypto , Arabiaque
opibus suis adiecerunt: Quod bellum sic ex sententia confe-
ctum, Rhodiano initium dedit: Est enim filio Solymano vi-
sum, quod Selymo patri, qui anno abhinc 5 maxima classe ad
Rhodium obsidēdam parata, vita defunctus est, difficilē sibi
ex Lefbo, Chio, Peloponneso, Euboea, Propontide , ipsoque
Byzantio , nauigationem futuram in Syriam atque Aegy-
ptum, stante incolumi Rhodo arce militum, vtpote ex qua il-
li maritimis suis excursionibus totum littoreum tractum de-
uastent, nonnunquam iusta classe congregati audentes : præte-
rea ducere dedecus Imperii sui, ferre gentem inimicā in ipsis
regni penetralibus. Adhæc ambitioso Iuueni magnos spiri-
tus ministrare Alba anno superiore ad confluentem Saui &
Danubii victa. Tum quæ nequaquam multa molienti negli-

B genda

BELLI RHODII

14

genda est occasio temporis, quo Principes occidentis maximis cladibus sese inuicem afficiebant. Veruntamen priusquam belli gesti, Rhodianæq; obsidionis initium aggrediar, quo ad cognoscendū omnia ut magis magisq; in aperto sint, quædā altius repetere necessarium est. Nam vt experior istud bellū multorum fide maius, ita eius quoq; historiam inuenio magis laboriosam mihi, quam putarā. Sed istud quoq; malum post tot acerbos casus, hostium iniurias, bonorum direptiones, cedes, exilia, pericula vasti maris, febres, morbos, pestē, oculorū ophthalmiam, mihi deuorandum est, et si laboribus meis nulla certa merces, quam non tam specto, quam laudem defensionemq; veritatis, & sacroru nobiliumq; Hierosolymitanorum equitum gloriā: tametsi nemo dicendo, aut scribendo tantam illis gloriam parare potest, quantā ipsi sibi pugnando pepererūt. Quod igitur sacræ militiæ & mihi vertat bene, sic exordior. Fabritio Carectano ingenti luctu desiderioq; plebis nouendum vita functo (fuerat enim ad populi fauorem au-cupandum, affabré factus, doctus literas Latinas, callidus, acer ingenio, cui consiliū nec incepsum ullum frustra fuit, magnificus), siquidem magnā vrbis partem nouo, validoq; murorum ambitu cinxit, arma, tela, machinas, commeatum affatim importari fecit, deniq; omnia quæ in bello vario, & multarum rerum egenti, vsui esse solent. Culpant aliqui, quod ætarium immodestius tractauerit, quibus ego nec assentior, nec repugno: vbi luce orta, æs campanum sonuit, vniuersa militaris concio in classes suas distributa ad phanum diui Ioannis conuenit, peracto solenni sacro, quæq; testata crucē Intermagistro pridem ab antesignanis constituto, spondet allaturam sese de corpore suo militem quem habeat optimū & prudenterissimum. Constituitur hac ratione ex singulis militum decuriis octumuiratus quidam, cui ius, fasq; est, præfectum comitorum nominare, & tres mox suffragia daturos dicere, Equitem qui summus suffragantium vocatur, Sacrificum, optionemq; militarem. Hi triumuiiri frequenti ordine præfecto comitorum ante aram (neq; enim iam octumuiratus amplius, aut Intermagister, cuius potestatē voluerunt maiores momentaneam esse, ne qua fraus suffragiis fieret), Sacramēto restipulantur quælituros se ex toto ordine militari quatuor & decem integros ac spectatæ fidei viros, quibus sociis tribum suffragantem perficiant, quæ simul atq; exit Christiano ritu expiata

expiata per adorandam crucē quatuor Didascalicos libros
 volumen sacrificiorum omni priuato affectu abiurato, non a-
 lium sacræ nobilissimæq; militiæ præfecturam se vouet, nisi
 claris legitimisq; natalibus & maximis in rem publicam me-
 ritis commendatum, quo voto, Sacramentoq; à Præside co-
 mitiorum stipulato, suffragatores secedūt, qui post graues de-
 multorum vitiis ac virtutibus censuras, duorum potissimum
 rationem habendam esse duxerunt, Philippi Vilerii Lilada-
 mi, & Thomæ Docrai præfecti equitum Anglorū. Hunc si-
 quidem plurimum commendabant magnæ opes, ingenium,
 magna experientia, consuetudo Regum & Principū ad quos
 arduis sæpe legationibus functus est. Illū negotia militiæ be-
 ne prudenterq; in Galliis & Hispaniis administrata: Vsus re-
 rum Rhodienium, fortitudo animi & corporis, virtus omni-
 bus spectatissima, nec vt quorundam esse solet supremū Ma-
 gistratum ambientum, simulata atq; efficta ad tempus. Factū
 hoc modo est, vt fors vtrinq; par exierit. Sed Liladami præ-
 rogatiua fuit suffragio equitis summi primi q; inter suffraga-
 tores, qui appellatis more maiorum decuriis, vellent ne suf-
 fragatrici tribui intercedere, aut obnuntiare quipiam, simul
 vt responderunt nolle, quod ergo inquit, Deus, & numen tu-
 telare prophetes Baptista sacræ nobilissimæq; militiæ nostræ
 bene & feliciter vortat, Renuntio vobis magnum magistrum
 nobilissimum equitem F. Philippum Vilerium Liladamum.
 Statimq; reclamatum est ab vniuersa concione, Nobilissimo
 Equiti F. Philippo Vilerio Liladamo Magno Magistro no-
 stro vita, victoria, & decus æternum. Qui quam primum li-
 teris nuntiisque à Rhodo missis, fortunæ suæ certior factus
 esset, celerrimè ad iter se accinxit: mouens è Lutetia Pari-
 siorum maximo splendidoq; comitatu, Franciscum Christia-
 nissimum Regem Galliarum, Burgundionū fines ab incursi-
 bus Cæsarianorū tuentē adiit, benigne acceptus & dimissus
 Rhodano flumine, in quo nauigiū armamentis bellicis onu-
 stum negligentia gubernatoris ad pontem ciuitatis Viennæ
 periit: Massiliam nauigat urbem, quod sciunt omnes, vetu-
 stissimam. In qua ob vetustatem nimiam, nulla vetustatis ex-
 tant monumenta. Paucos hic dies commoratus, classem con-
 scendit, leui inde vento Niceam in finibus Allobrogum de-
 lati maximam nauium nostrarum puero coquinario negli-
 gentius ignem seruante, incendio prop̄ amissimus. Actumq;

iam erat nisi magnus magister graui edicto facto, ne quis nautum relinqueret, suos voce & exemplo confirmans, ardorem flammę enascentis restinxisset. Liberati ancipiti periculo hanc quoq; deserimus sedem, vastumq; caua trabe currimus equor. Corsicam & Sardiniam præteruecti in foedam, maximamq; tempestatem incidimus. Cœlum strepere ingenti sono, & inter horrēdos fragores crebri micare ignes. Capti omnes auribus, oculisq; vota nuncupabant. Miserrimus ego insolita rerum facie præ cæteris magis perterritus, flamma micanti exanimatus, vexatione fractus, nausea ac vomitu fœdus, interq; vndæ furentis procellas obrutus, Deum hominumq; fidé implorabam. Affuit votis præsens numen, Syracusis antiquitate & fortibus gestis illustri vrbī applicamus, nouem hominibus fulmine enectis, pluribus percussis, animalium brutorū, boū, ouium maior lues fuit. Hic ad curam, quietemq; corporis, & nauium refectionem aliquantis per commorati, nauciq; aurā secundam vela & anchoras tollimus. Prosequitur à puppi vētus euntes. Sed ecce mox aliud malum. Nuntiatur Cortugolum Archipiratam cui duos vterinos fratres præter tertium quem in vinculis tenebant Rhodiani occidere, classe ex trimib; nauigiisq; rostratis collecta, expectare in statione ad Maleæ promontorium aduentum magni magistri. Diu discepsum, effet ne vtile quatuor tantū nauibus merces opulentas multorum negotiatorum, materiam incendiariam copiosissimam, ac commeatū omnis generis, præterea ipsum principem vehentibus, occurrere maritimo latroni, nihil præter tela & hostes afferenti. Sed consilia nostra fors immutauit, adiuti enim aura & secundo vento satis vehementi, portum Rhodium intramus summa nostra & oppidanorum lætitia, atq; alacritate. Processere obuiam armatae triremes sacræ militiæ cum signis, sono, concentuq; tubarum. Arx Nicolea, & turres quæ vtrinque portum muniunt, omniaq; vrbis propugnacula, multa crebraq; bombardæ intonuere. Equites antisignani Magnum Magistrum obuiis exceptum vlnis festo apparatu, per medias turbas hominum vndiq; sese effudentiū & precantiū fausta lætaq; in vrbem ad phanum diui Ioannis induxerunt: hinc peracto solenni sacro, cū plausibus & clamoribus, aliisq;, quibus effusa lætitia vulgo significatur, in Preitorium. Paucis inde diebus interiectis, Cortugolus nauigatiōne nostra elusus, tremens, frendensque subito secūdo exorto vento,

vento, obscuræ, quietæque noctis auxilio speculatorem fallens in fretum Rhodium erupit, ex insula fortè post deuastationem agrorum, prædam abacturus, & inciderant in eū, nisi sese commodū ventus mutasset, duę naues Venetæ ab Hierosolymis reduces, quæ eadē nocte à portu Rhodio soluerat. cognito aduentu hostili & discrimine sociorum, classe que in anchoris stabat, quam celerrime expedita, Equites Rhodii in piratā tendunt. Quod ille videns effusè fugere cœpit. Rhodii qui in spe erāt classis potiundæ, satis pertinaciter secuti sunt. Verum postquam celerritate nauium vtpote leuum, suas graviores eludi viderunt, abstiterunt incepto, naues sociorum in pacatum ducentes. Tempore haud multo pōst, venit Rhodū ē castris iuxta Taurinum Pannoniæ positis orator, missus à Tyranno Turcarum cum huiusmodi literis.

S O L Y M A N V S T S A C C V S D E I G R A.
tia Rex regum, Dominus dominantium, Maximus Impera-
tor Byzantii & Trapezundarum, Rex præpotentissi-
mus Perfidis, Arabiæ, Syriæ ac Aegypti, Do-
minus Asiæ & Europæ, Princeps Me-
chæ, Alepi, Hierosolymorum
dominator, possessorque
Maris vniuersi.

Reuerendo patri F. Philippo Vilerio Liladamo Magno
Magistro Rhodi, & Asiæ legato, Salutem.

Gratulor tibi aduentum & nouum principatum, quem vt habeas diu faustum & felicem cupio. Spes est enim mihi quod virtute & fide superaturus sis omnes, qui retro in insula Rhodiensi imperarunt, à quibus maiores mei semper vim suam abstinuerunt: quorum exemplo in eo tecum amicitiam & gratiam. Gaude igitur amice & gratulare mihi victoriam & triumphum, siquidem æstate superiori Danubio trajecto Regem Vngarorum quem occursum credebā in acie, sub signis expectaui in auro prælio decertare: Taurinum totius regionis urbem munitissimam, & vicinas aliquot arces vi ab stuli: multis mortalibus ferro, & flamma trucidatis, plærisque in seruitutem redactis, victor & triumphator dimisso exer-

citum in hyberna regressus sum ad Regiam meam almam urbem Constantinopolim. Vale ex Castris.

Recitata hac Epistola in sacro, augustoque concilio procurum antesignanorum, intellexit illico prudens magister verbis sibi nuntiari pacem, re autem, vim, quam, quod paratus esset alia vi repellere, non dissimili artificio literis sic compotitis significauit.

Philippus Vilerius Liladamus magnus
Magister Rhodi, Turcæ.

EPistolam quam ad me attulit orator tuus, recte intellexi. De amicitia quod scribis, tam gratum est mihi, q̄ ingratū Cortugolo. Conatus est siquidem, dum huc venirem à Galliis, me ex improuiso opprimere: quod ubi non successit, ob scura nocte fretum Rhodiū inuectus, naues onerarias, quæ ab Hierosolymis Venetias nauigabant, deprædari tentabat. Sed classe è portu meo mox deducta, vim prohibui, coegique piratam fugere, & prædam Cretensis negotiatoribus ereptā, relinquere. Vale, ex Rhodo.

Remissus est legatus cum summa fide & muneribus, adiuncto ei comite qui literas magistri perferebat, homine quodam priuato (raro enim dignata est Rhodus Turcam legatione publici equitis) Tyrannus præcoci ingenio adolescentis, cui rerum prudentia velox ante pilos venit, contéplatus ingeniosam talionem literarum redditarum, sensit secū agi suis artibus, & Rhodios paratos esse vim contraria vi repellere, neq; tam leuiter quā Taurini defensores ditionē & imperata facturos. Veniebat præterea in mentē quæ proauro Mahumeti acciderunt, accidere sibi posse, Fortunam & Martē fallacia esse numina, quæ fidē in paruis sibi præstruunt, vt cū operæ pretiū sit, cū magna mercede fallant. Hoc modo animum celerem nunc huc, nunc diuidens illuc, in partésque rapiens varias libidine aduersum nos metu pro nobis suadente, Cortugolum accersiri iubet. Vocatus accedit præeuntibus duobus Augustalibus Mustapho & Farao, cui vt mihi narrant, Tyrannus sororem collocauit. Hique omnia in Rhodiōs acerbè atq; ad gratiā principis sunt locuti, vt facere solent quos regiæ opes alunt. Sed acerbissime Cortugolus vir natura ferox, belli hand ignarus probè intelligēs literis de se querentibus gratiæ suæ apud regem non modo decreuisse quippiam, sed etiam permagnam esse accessionem factam, quem in hunc

in hunc modum locutum fuisse accepi.

Ingentia tua erga me merita Optime, Maximèque Imperator faciunt, vt quæ æstimem tibi & Imperio gloriæ decorique futura, liberè loquar. Voces quotidie ad me miserabiliū hominū ex Insulis Mithylene, Euboea, Peloponneso, Achaia & continēti, Caria, Lycia, atq; omni littoreo traētu Syriæ ac Aegypti perferuuntur, exponentium agrorum suorum depopulationes, direptiones vrbiū, prædas hominum & armendorum, multaque infinita alia & incredibilia mala quæ in dies patiuntur, nōmine vim prohibente à cruciferis illis & piratis Rhodiensibus. Tendunt mihi miseri supplices manus, opem meam orant, instant, vrgent, vt illis auxilium ab imperiali maiestate tua implorem, vt illos ab iniuria, cæde, rapinis istorum Cruciferorum defendas. Oro te igitur per adorandū nomen Mahum etis, per genium imperiale, vt populum tuum ab his crudelissimis hostibus liberes, vt ex ferro, flâma, & ex graui seruitute quæ morte durior est, aliquâdo eripias. Atque illud tecum etiā cogites non tā populo & priuatæ plectculæ hanc iniuriā, quām publico honori & nomini tuo inferri. Quam si Regum, si Principum aliquis Christianorum inferret, non patereris, scio, inultā, & nunc finis latrones, sicarios, colluuiem hominum agros tuos vastare, vrbes diripere, populum trucidare, mare totum vnicuique nostrum infestum reddere. Quis enim nauigat Damascum, Alexandriā, Memphis, Chalcidem, Lesbum, Chium, regiam tuā Constātinopolim, qui non maximis ac certis quidem ab ipsis cruciferas imminentibus periculis se exponat? Quid per tot annos statim post vernum æquinoctium audimus aliud, quā cruciferos Rhodios portum aliquem Turcarum occupasse? Turcas in seruitutem miserrimā redegissem, prædā hominū ac rerum præciosissimarum ex vrribus atq; agris direptam, Rodium aduexisse? et quod turpissimum est te inspectāte, in medio & penetralibus regnorū tuorum hæc omnia fecisse. Ignoscere mihi obsecro Imperator si aperte nimium dico quod sentio, quicquid enim à me dicitur, nulla alia de causa dicitur, ni si vt tu aliquando facias, quod iam multos ante annos factum esse oportuit. Quod ad religionem nostrā Mahumeticā ampliandam, ad Imperii & nominis tui protelationem pertinet, pro quo quidem propagando nostras fortunas in quodlibet discrimen afferre, corpus telis armisque obiicere, nihil la-

boris, nihil periculi subterfugere debemus. Quod si laudum
 & pugnæ amore flagras, & ad perpetuā immortalitatem mi-
 rum in modum tendis, quo cā bello facilius consequi poteris,
 quām si Rhodū, quæ quoddā Christianorum propugnaculū
 est & dicitur, quæque sola nos ab illorum regionibus prohi-
 bet, expugnes & in deditioñē cogas? Dices fortasse hic, Ma-
 iores mei toties vrbem illam frustra tentarunt. Tentarunt &
 Taurinum Pannoniē vrbem, tu tamen multò magis muni-
 tam nunc quā prīscis illis sēculis in potestate tuā redegisti,
 & de Rhodo desperas? Depone vanū istum timorem, auden-
 do, agendoque res turcica creuit. Properemus ad illam obsi-
 dendam terra & mari. Si populus tuus seruitute gemens ma-
 nibus suis eam construxerit, num libertate cupidine atq; oc-
 casione tot illatas iniurias vindicandi gaudens, eisdem mani-
 bus destruere poterit? Quod si cognoscas Imperator, est tibi
 procurante summo propheta Mahumete diuinitūs oblata oc-
 casio, dum Christianus occasus intestinis cladibus laborat.
 Num in gerendis negotiis ignoras sequendas esse temporum
 opportunitates, & in occasione rerum desidiā, ac tarditatem
 omnem quām diligentissimè fugiendam? Mutabilissimæ qui-
 dem sunt téporum vices, & fortunā cum abiré permiseris,
 frustra postmodùm discedentē ac fugientē sis imploraturus.
 Hac oratione animus iuuenilis inuidia Christiani nominis
 æger, honorum & imperii appetentissimus, facile ad bellum
 decernendum impulsus est. Sed primum rem ad proceres de-
 tulit, vbi sic locutus fuisse traditur, Et si non dubito viri for-
 tissimi eandē vobis nunc mentē esse, quæ in aliis aggredien-
 dis gentibus semper fuit, de cōmuni tamen gloria atq; com-
 modo, commune indicere consiliū volui. Ex eo tempore quo
 pater meus vita defunctus est, cum diuersis populis ac natio-
 nibus bellum gessimus: Syros vt sunt natura instabiles, & ad
 res nouas moliendas proni, rebellionē tentantes vi in officio
 continuimus: Sophum magni Vſuncassani ex filia Nepotem
 quæ Iacupi Regis soror fuit, prēpotentem illum Regem sem-
 per nobis corde & opere mala machinantē, nec dum in Af-
 syria, Media, Armenia maiore, Perside, Mesopotamia conté-
 tum armis nostris intra septa sua conclusimus. Anno superi-
 ore omnem Pannoniam vltra citrāq; Danubium peruagati,
 Taurinum totius regionis locum munitissimum cœpimus,
 quæcunq; tentauimus, subegimus. tamen vt de me ingenue
 dicam,

dicam, animus supra imperium & sanguinem Othomanicū
 ingens in his victoriis conquiescere non potest. Nam quæ-
 cunque hactenus egistis, & si magna sunt, minora tamen vir-
 tute vestra æstimo. Huc me rapit cupidus, hoc semper exarsi,
 Rhodum illam petere, omnesq; Rhodianæ militiæ vires & ca-
 stra radicitus euertere. Nonne vos idem haud sanè minus quā
 ego semper optauistis? Quoties enim voces audiui Rhodum,
 Rhodū conclamantium, tēpus à me expectatū est, ut expedi-
 ti aliarū gentium bellis, huc omnes neruos animosque, invnū
 intenderemus. Quod tā diu cupiuistis, in manibus vestris est.
 Nulla maior vñq; facultas data bene gerendæ rei. Murorū vr-
 bis Rhodiæ permagna pars solo æquata iacet, quę haud par-
 uo tēpore restitui poterit ærario expilato. Ad hęc arcis pręsi-
 diū parua manu militum constat. Auxilia à Gallis lōginqua
 post Rhodū expugnatā futura sunt, aut quod mihi verisimi-
 lius est, nunq; neque enim Rex Francorū cū Imperatore Ger-
 maniæ & Italiae domino ad internitionē depugnans patietur
 naualia sua dearmari, portus suos nudari præsidio nauium. Nec
 credatis etiā Hispani generis homines domi fame, bello, inte-
 stinis odiis implicitos, foris huc ex Sicilia & Campania tā fa-
 cile militem & commeatū portaturos. Sed maior instat ut pu-
 tatis, à Classe Veneta, ab auxiliis Cretæ insulæ timor, immo
 nullus: scio neq; debeo omnibus palā facere, quomodo huic
 malo occurrerim, ergo magnanimi viri nati ad subigendum
 vniuersam Christianorum ditionē, nedum Rhodum, sequan-
 mini alacres me crudelissimis & perfidis hostibus bellum in-
 ferentē. Quousq; patiemini quęso familię Othomanicę & in
 vniuersum Turcis omnibus maculam eā adhærere, quā Rho-
 dii nobis asperserunt victoria superiori obsidione parta? quā
 non tā virtus illorū fecit, q; Proaui Mahumetis consiliū infe-
 lix Mysachū palleologū militiæ ducē vna infeliciter cōmis-
 fa pugna reuocantis. Sed fecerit fane illorum virtus victoriā,
 tolerabitis ne ideo semper toto mari piraticas istas excursi-
 ones continēti & insulis, vrbiū atq; agrorum deuastationes,
 prædas animaliū, & quaruncunq; rerum optimarū incendia
 suppliciaq; raptus coniugū, cædes liberorū, seruitutē affiniū
 cognitorum vestrorū? non, si vos noui, si me Mahumetes me-
 us adiuuerit, cuius ope atq; auxilio, inuitis Christo & Ioanne
 Cruciferorū magnis diis, spondeo me breui lunata signa me-
 dio vrbis Rhodiæ foro defixurū. Nec quicquā mihi nisi glo-
 riam

riam quæro , vtilitatē do vobis cōmilitones : auri & argenti
 celata vasa, mundum muliebrē qui p̄tiosissimus esse dicitur,
 omnē pecuniam, splendidamq; supellestilē, ad vxores , ad li-
 beros vestros , domum onustis nauigiis deportate. Nunc er-
 go ad Rhodum oppugnandam totis viribus, bonōque animo
 transeamus. Cumq; hoc faciendum omnes vna voce suclla-
 marent, assurgēs Pyrrhus natus (vt mihi relatū est) patre Bul-
 garo desertore fidei, cui longa uita & odiū orthodoxæ fidei,
 mille artes, & nomina mille nocendi pepererunt, Non possū
 (inquit) non plurimum admirari præcocē, maximamq; pru-
 dentiā & virtutes, atq; ingeniu Imperatoris nostri, adeo pru-
 denter & disertè omnia maximi clarissimiq; ducis in bello su-
 scipiendo consilia exposuit. Felix Mahumetis ter quaterque
 hoc Imperiū, beata hēc respib. fortunati nos tali principe, qui
 non tantū viros & arma, sed prudentiā atq; consiliū in præ-
 dicta dicit. Quem optimū & laudatissimū pugnandi morem si
 semper ad manū, semper ante oculos habeamus, non modo
 Rhodū, sed breui omnē Christianorū ditionē in potestatē no-
 strā redigemus. Verū actas & experientia mea præter ea quæ
 iuuenis Princeps sedulo & diligenter inuestigauit, suadet ex
 equitū ciuiumq; Rhodiensiū ordine maximos si fieri potest,
 viros corrūpendos esse, & p̄emio , pollicitatione , mercede,
 gratia, deniq; modis omnibus, ad proditionē secretorū consi-
 liorū sollicitandos, quod quomodo fieri possit, accipite , Ego
 quasi pacis quietisq; cupidissimus arbiter, inducā nuntiis lite-
 risque magnū magistrum, ut ad principē nostrū legatos mit-
 tat, qui vbi in nostra erunt manu, sinite agere Pyrrhū. Placuit
 omnibus & in primis ipsi Tyranno senis viri consiliū, man-
 datūq; vt rē illico summa cura, fidēque expediret, cæteris du-
 cibus, vt pararent terrestres naualēsque copias quā maximas
 possent, neque diu continuuit se bellici apparatus rumor. Men-
 se intercalari pridie nonas, Rhodi nuntiatū est Turcā nauī
 longarū carinis positis contracta ad effectum eius operis ex
 Chio & reliquis portubus multitudine fabrorū , omniq; alia
 nauali materia, ferro, linteis, sparto maximā classem Conſtā-
 tinopoli fabricare . Quæ fama dū indies crebrior, constanti-
 örque circos, conuentūsque hominū permearet , misit eque-
 stris ordo omnia exploratū quandam Epidaurēsem turcaicæ
 linguæ peritū. Renuntiat is ē Byzantio, epistola inter liqua-
 mina p̄isciū abscondita classem maximā parari, militē scribi,

nume-

numerum præterea & formâ tormentorum. Cæterû hostem impetendû vulgo incertû esse, multos, non tâ de Rhodo quâ Italia dubitare, plerosq; de Cypro aut Corcyra, nuntiû istud multorû animos omen à se alienantiû securiores fecit, sed dû homines in quosuis potius quâ semetipso bellû apparari credunt, affertur sociorû, amicorû q; literis finitos hostiû portus diligentissima custodia obseruari. Inter has belli imminētis curas, minime idoneo tēpore, quidam ex equitibus Italicis missionê & præmia flagitarunt acerbè in Romanâ curiâ locuti, cui stipendiorû suorû defraudatione acceptam referebant. Verû magister prudentia ac consilio suo tantû effecit vt responderent omnes non consueuisse equites Italos rempub. in ancipiâ discriminâ constitutâ relinquere, nec nunc quidé relicturos, verum quo plura bene atq; strenuè fecissent, eo minus iniuriâ tolerare. Cupere igitur se, vt primo quoque pacatiori tēpore legionis optime meritæ ratio habeatur. Deinde cœptû est de vrbis Rhodiæ cura & præsidio cogitari: equites, nauteque lignatû missi sunt in desertû continentis Latonę luccū, Phisco antiquo Lyciæ oppido vicinū: arma, tormenta, tæláque recognita sunt: lapides molares quibus molas manuæles, asinariæsque quisque sibi fabricare iussus erat, ex Nysiro insula importati: vrbana multitudo in heptacurias suas partita est. Muri & propugnaculû Auernorû à Basilio Cæsaris Caroli quinti architecto magistratu Fabricii modulatû, maiori cum diligentia perficiebatur, captiuis ad voluntarios labores præmio liberalitatèque magni magistri inuitatis. Dû hæc tanto studio atque ardore aguntur, venit Byzantio nuntius à Pyrrho quæ diximus supra, missus, homo festiuus atque ingeniosus munus suum verbis mire adornans, prædicando Dominum, indolem præterea ac facile ingeniû Imperatoris sui. attulitque ab eo & Pyrrho ad magnum magistrum binas literas, quarum exemplar tale est.

Solymannus Tsaccus Dei gratia Rex regum, Dominus

dominantium, Reuerendo patri Philippo Vilerio

Liladamo magno Magistro Rhodi, legatō-

que Asiæ Salutem.

Certior factus sum epistolam meam tibi redditam esse q; quod recte intellexisti (mirum dictu) quam placuit, confide quod victoria Taurini minime sum contentus, alterâ spe ro immo mihi polliceor, quâ tibi cuius semper sum memor,
nequa-

24 BELLI RHODII

nequaquam occultam esse sinam. Vale ex Constantinopoli.

Pyrrhi epistola hac fere sententia erat.

PYrrhus apocletus Philippo Vilerio Liladamo magno Magistro Rhodi legato Aliæ. S. Epistolam tuā sensu maiorem quam literis exhibui maximo Imperatori nostro : tabellarium aut̄ non sum passus admitti, ne plebeo nimiū nuntio offenderetur, ad quem mittes deinceps viros illustres etate ac prudentia cōmendatos, quibuscum si in animo habeat, possit de re communi transigere. Quod si facias, nec te facti, neq; me consilii pœnitibit. Quē mitto, affert ad te literas etiā à nostro Imperatore, cuius diuino numini quomodo sit respondendum, monitus es. Vale, ex Constantinopoli.

Hæ literæ trahebant in varias partes multorū animos qui à quietis consiliis non abhorrebant, metientes alios ex fide probitatéque propria, commendabant Pyrrhi consilium, dicentes, virum senem & prudentem, non tam nostræ q; patriæ & Imperatoris sui quieti studere, cupere eū consilio cōpone-re, quæ Iuuenis princeps ferro, metuentem incerta casuum humonorū communem belli martem, vim fortunæ maximos se-pe Reges & exercitus parua manu hostium, paruoque negotio pessundedit. Tantum valuerunt horum consilia ut deligentur oratores frater Raymundus Marchetus eques natus in Hispania citeriore, nunc Euboicæ præfecturæ titulo insignis, vir magnanimus, catus, facundus, & castrophylaca ciuis Rhodiensis Turcaicè callens. Multis dispar sententia fuit qui fraudem, dolumq; sentientes, ab hostili consilio cauendū prædicabant. Quorū enim ista legatio? Bellum ne indicē-dum tyranno potentissimo? Nondum ex professo hosti: pacē enim scribit, an deprecandum nondum indictum? Ut timeri scilicet se intelligat is qui iam timet? Qua securitate, qua frō-te etiam ibunt oratores non vocati à domino sine diplomate per alienum agrum, quem nos indies exurimus & vastamus. Sed Pyrrhi literas proferent, huius scilicet commiseratio, huius fides, & autoritas eos ab iniuria proteget, quasi seruus domino leges imponat, domino simillimus, hoc est, crudelis, perfidus, osor omnium Christianorū, maxime Rhodiensiū, quos tyrannus si reperiat iam parata classe & delectu militū habito, vario cruciatu afficiet ut vires nostras, nostros cōmeatus, secreta vrbis & militiæ nostræ sibi prodant. Magnam accessionem fecit huic sententiæ hominum vere prudentū, diligens

ligens studium missi oratoris multa & varia inuestigandi de statu, situque vrbis, numero & fortitudine equitum, quapropter remissus est cum vno tantum comite homine priuato magistri epistolam ad tyrannum afferente, cuius sententia talis erat. Quod memor sis mei, haud molestum est, ego vicissim tui memor sum. Repetis victoriam pannoniam qua non contentus alteram speras, imo vel ante bellum tibi promittis & canis, vide ne te fallas, nusquam minus quam in bello euentus respondet, epistola autem ad Pyrrhum missa talis erat.

Frater Philippus Vilerius Liladamus, magnus Magister Rhodi Pyrrho Apocleto, S.

Literas tuas, simul & nuntii mores, atque ingenium diligenter perpendi. Consilium tuum non contemno, nec obseruo quidem, dum miles meus agros portusque domini tui depredatur, quod ut tolerarem, fecere iniurie quas à piratis turcis acceperunt. Verū reuocabo excurrentes, missurus ad Imperatorem tuum oratores ad quos fidem publicam eundi & redeundi eius diplomate testatam præmittas. Vale, ex Rhodo.

Verum animaduertendum hic magistri literas ad tyrannū non allatas esse, nam Turca vbi transfretasset equū ascendēs qui in redditum paratus steterat, adactis calcaribus cursu quam velocissimo effugit, socium Christianum relinquens, qui reditu suo in vrbem magnam pacis desperationē afferebat. Quapropter missi sunt in Cretam coemptores qui ex insula vinū & sagittarios importarent: nam arcubus & sagittis plurimum vtitur Creta à septentrione Aegrū, occasu Ionium Europæ maria habens, ab ortu Carpathium atq; Aegyptiū quæ Asia tica sunt, meridie Africum. Literæ interea à Naxo missæ dicebant naues instructas, armatāsque in aquam deduci, Barbaros moturos inchoante Luna: nam hoc signum rebus gerendis auspiciatissimum habent. Idem nuntiabant frumentatores insulæ Pathmus celebris ossibus Ioannis Theologi, qui nauigio quodā capaciore optimum frumentum Euboicum inferebāt, cuius venundādi specie ac prætextu multa quæ in vrbe obsiden da agebātur, iussu turcarum quibus sunt vectigales, explorauere. Nec segnius magnus Magister nauiculas ad omnia explorāda circa insulas mittebat F. Ioannes lupus quæ bellouacum appellant, strenuus eques qui postea in defensione propugnaculi Britannici grauiter læsus fuit, rem sibi mā

C datam

datam diligenter peregit, nauimq; vnam rostratam onustam frumento Rhodum secum adduxit: Fuit infelicior vnius Celicis præfectus eques Alphonsus: hic cum in statione quadam ventum expectans remiges longius diuagari pateretur, à piratica quadam naue fortuito interceptus, obnixus diu ne vi-vus in potestatē hostiū veniret, grauiter fauciatus, captus est: Biremis præter paucos, quos sors & fuga saluauerant, cū nau-tis capta est. Ignominia magis quam damnum Rhodios com-mouit: nā multis annis retro nulla nauis Rhodia hosti in præ-dā cesserat. Armatæ extemplo triremes omnem oram vicinā circum nauigare iubentur, sicubi forte latentē piratam repe-riant. Per idem tépus crebris ignibus, vna nocte post aliam in hostico sublatis signū factum est, esse ibi mortalem colloqué-di cum Rhodiis cupidum. Quare F. Menetonus eques Gallus prudens contra pericula & insidias, nauis, viris, armisque satis instruta ad continentem iussu procerum mittebatur, comite Iacobo Xaico triremiū rationale, vt à loci incolis atq; amicis omnia de futuro bello industriè diligentèque inquireret. Erat enim Xaicus præter maris ac regionum notitiā, ciuilium quoque rerum gnarus, & turcis negotiatoribus quorū didice-rat idioma, vnicè charus atque acceptus. Quos vbi ad fontē inter calices ac libamina reperisset, circunseptos tapetis, boni bace & aliis talibus quæ Barbari mutare cum Rhodianis mer-catoribus panno laneo solebant, salutē ac fidem inuicem dat & accipit: Rogatus descendere ad comedendum, donec veni-ret è proximo tugurio quidam cum quo multum familiaritér que vixerat, respondit non posse, nisi obside prius in nauim recepto. Perfidi dictum cachinnis excipientes vltrò merces & obside imponunt. Egressus tum & obuios amplexans da-to statim signo, vndiq; ex insidiis inuaditur, ac raptim perni-ci impositus equo protrahitur Byzantium, vbi acerbis quæ-stionibus, omnibusque affectus suppliciis quæ corpus vllum pati potest, ad facietatem inimicorum dicere facta, atque infecta cogitur. Postquam isto dolo amissus est Xaycus, tum magis ac magis vulgo celebrari cœpit illorum prouidentia qui militaribus comitiis reuocandæ nuper decretæ legationis ad Turcam autores extiterant. Itaq; ne mora diuturnior damnū afferret, iustitium indictum est, vigilię vicatim exactæ, in procestris militaribus acutę lanceæ dispositæ sunt, tormenta per muros locata, singula loca firmata custodibus. Publicū arma-menta

mentarium instructum omnium bellicarū rerum incredibili apparatu referatum est. Armorum atque telorum portationibus tota ciuitas fere, à Proceribus antesignanis lustrū conditum, recensa liberorum hominum, qui arma ferre possent plus minus quinque milia, inter quos strenuè pugnarunt sexcenti ferè equites, quingenti Creteses, cæteri qui pugnæ diligenter fideliterque vacarunt, fuere nautæ, remiges, classiarii quorum virtutem plurimùm iuuerunt duces ipsi maritimisq; excusores, Michael vitalis Gallus prælio nauali semper acer rimus, & felicissimus Seringus Vandalus, ac Siculus quidam & vñus Rhodius Nicolaus Mego. rustici qui ex agris insulaque conuenerant, non tam pugnando, quam fodiendo, ferendo que terram, obsidioni vtiles fuere, reliqua urbana multitudo, aliquot tamen vere strenuis viris exceptis, imbellis, iners, neque laboris, neq; periculi satis patiens, egre, minis, & imperio sub signis & stationibus suis retenta, lingua quā manu próptior, enses, clypeosque gestando plus omnino ostentationis quā fortitudinis habuit. Dum fama futuri belli & animorū nostrorū per Cycladas, insulasque alias Aegei maris latè effuditur. Ioannes Antonius Bouladius venetus faber fortunæ suæ à creta Rhodum venit, nam cum esset loco haud illustri natus concordante suffragio, contra omnia vetustatis exempla ob bene diligenterque nauatam rei publicæ operam, inter equites receptus est, donatusque iure aureorum calcarium. Importauit vina, commeatum omnis generis cum delecta iuuenium manu. Paulo post Dominicus Fornarius Ligur vir castus, impiger, strenuus prælio, bonus consilio, cum ab Alexandria nauigaret in Siciliam ingenti oneraria naui preciosissimis onusta mercibus, secundo ab urbe lapide in insulam descendit, inde consilio & prudentia nostrorum in urbem ductus est, exceptusque obuiis triremibus. Nam tantæ nauis aduentu, quæ arma virosque afferebat, Rhodi ingens gaudium merito exortum est, animis omnium nihilominus curram defensionemque remittentibus: quos flexanima & vehementi sua eloquentia haud dissimili illi quam in Cynea, Pericleque fuisse scribunt, ad omne egregium audendum & faciendum inflammauerat Leonardus Balestrinus Ligur Archiepiscopus Latinorum, vir summa doctrina sacrarum literarum, & memoria propè monstrosa, qua Cyrum, ac Mithridatem vel æquat vel superat, in dicendo sententiis acu-

tus, & creber, verbis ornatus atque efficax, cuius luculentissimam orationem, quam in phano diui Ioannis ad equites habuit, subiicio.

Vt hodierna die, quam maiores nostri deo Trino & vni sacrū esse voluerunt, ad celsitudinē tuā magne Magister, vosq; ô nobilissimi equites, de fide, & de religione verba faciam, monet officii mei ratio: Sed dum reipub. faciem, statumque intueor, quod numinis venia mihi liceat, orationem temporī ac commodabo, quo non tām prædicanda est fides, quām defenda ab hoste immanissimo, maximis huc, terra, marique copiis ad nostram euersionem properanti, cui nihil dubito, resistetis, vt viros fortes & equites Rhodios decet, vtque haec tenus facere consuevistis: Neque estis, aut mea aut cuiuspiam oratione monendi: Tamen quo mihi faciam satīs, quem etiam pectoralis ista crux ad omnem Turcici nominis internitionē laborare admonet, & ne qua mentibus hæsitatio, scrupulus ue restare possit, proposui equites facere vobis fidem victorię argumentis minime inanibus: quare attendite quæso, vt cœpistis, diligenter: vtar enim oratione qualem tempus locusque expostulat, fideli, facili, & compendiaria. Primum igitur oro ac obtestor, ne aures, multo minus animos quorundam omnōsis vocibus præstetis, omnia in peiorē partem rapientium quasi diuina maiestas durius aliquid de nobis statuerit: ego enim hunc timorem vos mittere iubeo, non quod inficias ire velim extrema omnia exempla nos promeritos, si lege talionis & summo strictoque iure agere libeat, sed nihil tale Deo pientissimo in mentem venisse credendum est, quippe qui semel familiæ suæ spopondit, omnem sese malæ administratæ rei noxam seruis remissurum quoties frugi diligentioresque fieri cœperint, vt vos nunc fecistis sacri equites, quod vt semper faciatis, velim. Ne formidetis ergo immanem istum apparatum, quem facile concesserim, volente & procurante rerum omnium opifice Deo in capita vestra excitatum, Sed nō ideo vt confringantur illa, aut evertatur hic florentissimus vester militaris status diuum Baptifam præsidem habens, qui secundum Deum primus & selectus in cœlo esse creditur: nunquam enim ille finet diro sui nominis hosti tantum licere: sed vt seueri patres chariores filios per duriora agunt, sic vult Deus Optimus Maximus hac potissimum ætate, qua Ducem Magistrumque elegistis, quo, bello maior

lo maior & armis, nec pietate fuit, per durum & difficile bellum militiam vestram clariorē, celebrioremq; efficere, ne semper à macherophoris istis in occidente otium & ignauia vobis obiiciatur, cum ipsi iidē sint ignauissimi. Quare magnas agite gratias Deo trino eidem& vni, cui hoc die litamus. Nec cogitatis illum omnia fatis & casuum temeritati permittere, sed res suas sibi curæ esse, fouere fidē, stabilire religionem, cu pere exaltationem cultus & nominis sui, explorare humana omnia consilia etiam altissima, scire quid immanissimo & crudelissimo hosti suo in mentem venerit iam iam serenti virus Mahumeticum gladio, quo semine primum enatum est: cui oportebat Duces, Reges, principes occidentis primo quoque conatu obuiā ire, ne vis mali latius serperet, & depositis priuatis simultibus insolecenti tyranno duobus acerrimis stimulis ad alienas opes inuadendum instigato, ambitione nempe & cupiditate, hanc siquidē natura sanguinis Scythici, illā ætas. xxviii. annorū suppetit concordibus armis, animisque ostendere, quam stulta, quamque periculosa res sit inconsulto iuuenilique feruore belli artibus gloriam querere, & gentem Christo deuotam impetere, ac suas copias, suas classes, suos exercitus, eosq; gladios quibus visi sunt hactenus, in semetipso contra communē cuiusque nostrum hostē conuertere, vt quas ille nobis cogitat inferre calamitates, aliquando ipse experientur. Verum ista frustra occinuntur surdis auribus: tendūt supplices manus captæ vrbes, & Christianorum Regum auxiliū implorāt: confidit sese breui ex crudelissima seruitute in libertatem pristinam restitutum iri Taurinum nuper caput: Constantinopolis Thraciæ nobilissima ciuitas, tot annos inter compedes ac pedicas immanissimq; seruitutis Turcicæ computrascens, adhuc liberationem à nobis expectat: Euboea Cretam respicit ad diui Marci signa ægre aspirans. Verum illi infelictum calamitates & miserabiles querelas aspernantur intestinis seditionibus intenti, nihil aliud secum animo versantes, nisi alter in alterum exercitus ducere, signa inferre, manus conserere. Quot enim nunc annos Imperia occidentis inter se commissa cernimus, & Reges bellū vicissim propulsantes, & inferentes, dum interim populus agro & vrbe vastatus cædium, rapinarum, proscriptionum pertæsus ad delubra pacis & concordiæ infulas ac propiciatoria fercula circumferens, frustra bellū in Turcas clamat. O dira portentosaque

tosaque præstigia, quibus humanæ acies sic fascinantur. Hispanis atque confœderatis gentibus speciosissimum videtur Italiam bustis Gallicis insignire: Gallis denuò palmarium per cæsorum cadauera vltra citraque alpes commeare, Heluetiis interim ambobus magno auro pugnam vel pacem suam cauponantibus. Heu fatalis furor vtrarunque partium. O incredibilem nostrorum temporum ignominiam, O insignem nostræ huius tempestatis maculam, quæ nullo inquam tempore deleri poterit: Heu pietas, heu præfca fides maiorum nostrorum, qui priuata animorum studia defendendæ Christianæ reipub. causa deponentes copias, classes, exercitus instruxerunt, & reliqua ad diuturnum bellum necessaria collegerunt, quibus longinquas istas Asiæ regiones inuaderent. Nunc cedo ex Pontificum, ex Imperatorum, ex Regum ordine aliquem de Imperii Christiani finibus ampliandis sollicitum, & Alcyonem vidisse me gloriabor. Olim vrbanus.ii. Pont. Max. habito ad Clarum montem concilio, ita Christianorum animos ad mouendum contra crudelissimos Turcas istos bellum inflammauit, vt tercenta fortissimorum hominum milia in Sarracenos qui eisdem auspiciis cum Turcis bellum gerebant, Hierosolymæ recuperandæ causa proficiisci non dubitarint: et maximis itineribus terra marique celeriter superatis, Niceam expugnarunt, Antiochiam cœperūt, Hierosolymam, Heracleam, Tarsum, plurimaque alia oppida in Christianorum potestatem redegerunt. Carolus à rerū gestarum magnitudine magnus, non contentus Hispanos, Saxoness bellicosissimos & duræ repugnantisque ceruicis populos, Christi Iesu iugo subdidisse, quum audiret Hierosolyma graui barbarorum dominatu oppressam, celerrimè illuc se cōtulit & barbaros profligauit, christianosque in urbem restituit omni metu liberatam, ac firmis munitam præsidiis. Huc etiam cum Morinis suis extremis hominum, Balduinus Elædrus Constantinopoleosque Imperator venit, venit Germaniæ Imperator Fredericus barbarufus. Quod si nunc contingat dígito cœlum contingam, O cœlum, o terra, o maria Neptuni, erumpunt crebrius vel inuito mihi Demeaneæ istæ exclamations, nam cogor alta silentia rumpere, & obductum verbis vulgare dolorem, neque continere me possum in tam publica morum & fidei calamitate cernens ipsos ordinū duces oestro vindictæ percitos, frameā quā illis credidit deus opt.

us. Opt. Max. ad salutarē tutelam innocentū, plebeculę suę
dearmatæ custodiā, fidei præsidia vibrandam in fontes, in no-
xios, in contemptores religionis, in hostes diuinæ maiestatis,
stringere, ac fodere in cognata fratrum viscera (sumus siquidem
fratres cum habeamus communē omnes in cœlo patrē
Christū Iesum) Sed vt verè & liberè aliquando dicam quod
sentio, nos veri germanique Christianismi effigiem nullā te-
nemus, vmbra tantū & imaginibus vtimur. Hactenus Hercu-
les & Liber pater (vt est in prouerbio) vltterius fortasse Chri-
stianæ libertati aqua fluere non videtur. In viā institutā ergo
reuertor, & vos equites bene sperare iubeo, quibus Christus
Iesus, dū ceteri eā prouinciā negligunt, crudelissimū hostem
nominis sui debellandum & triumphandū trādidit. Eya ergo
spe bona & animo pleni, duce deo arma capite ac retundite
mihi nobili illo mucrone vestro præferocientes illos spiritus
in Turcarū vultibus eminentes, & quemadmodū Dauid Go-
liadē occidit, sic vos infame tyrāni corpus cultu indumento
barbarico tectū, qd' ritu patrio post largasepulas & amplissi-
mā ingurgitationē, muliebria quæq; & agere & pati solet, gla-
diis vestris cōfodite, confossū Cæsianis Brutisq; vulneribus,
vlticibus flāmis exurite, quod si tu fortissime magister equi-
tū cum ista nobili sacraq; militari cohorte tua effeceris, egre-
giā certe laudē & ampla spolia referes. Si enim Scipio clarus
est qui Hannibalem ex Italia decedere coegit, si ornatur exi-
mia laude Aphricanus qui duas vrbes Romano Imperio in-
festissimas deleuit, si est æterna gloria Mario, quod bis Italiā
obsidione seruitutisq; formidine liberauit, quanta te gloria pu-
tas, manet, si Turcas Christianis finibus quibus imminēt, ex-
cedere cogas, & legē mahumeticā deleas, ac reliquā Catholi-
cā Græciā, Cyprū, Cretā, immo & ipsam Italiā seruitutis for-
midine liberes? si enim hicvicerit hostis (quod deus nolit) cō-
tinuò istas prouincias permagno ex diuersis gentibus cōpara-
to exercitu inuadet, vastabit, exuret & miserrima seruitute op-
primet, accīgere igitur gladio tuo super fœmur tuū potētissi-
me magister, & vos sacri equites estote fortes in bello, & pug-
nate cū serpēte isto antiquo: neq; moueāt vos in gētes hostiū
exercitus, sed reputate aīo qd' res est, vitā & interitū hoīm ēē
in manu dei, q nō tā multitudini fauet, q pietati, quotiesque
populo Israelit. locorū angustiis circūnēto, & parua manu cū
inumeris gētib' amorreis, egyptiis, moabitis, philistinis, madia-

BELLI RHODII

32

nis; Cananeis depugnanti, præclarissimas victorias concessit, hoste ad internitionem usq; cæso. Recenserem nunc (nisi bre uitatem essem pollicitus) copiarum Xerxis, Darii, cæteraque Græcæ & Latinæ historiæ prophana exempla ex Iulii Frontini stratagematico libro iii. nota, quibus aperte instruimur virtute & audacia ad victoriam non numero opus esse. Rudis enim & indocta multitudo, ut inquit ille rei bellicæ scriptor, ad fugam & cædem semper exposita est. Quare Alexander magnus cum præter Macedonas suos vniuerso Illyrico innumerum delectum posset indicere, nunquam maiores quadraginta milium copias duxit, inhabile regenti ratus quicquid excederet. Quapropter moneo vos equites ut in ista obsidione geratis spiritus dignos nobilitate vestra, hoc est egregios, audaces in prælio, siquidem maximū semper his periculum, qui maxime timent, audacia pro muro habetur, quam omnia ad bellum prosperè feliciterq; gerendum necessaria que abūde adsunt, vobis addere & augere debent. Si quidem, ut omittam necessitatem pugnandi, quæ sola vel timidos fortis facit armis ac militari peritia hostem superatis, tenere enim licet vos loricis semper tectos, verticem tegit galea minaci crista emicans, pectore æneus splendet thorax, manus armantur en se & clypeo, pedes innodantur duro solidoque ferro, neque ideo minus ad saltum & luctam habiles, nā arma & ferri gracie pondus leue facit usus ac quotidiana exercitatio, quæ vos belli stratagemata artesque edocuit, laculum recte emittere, tormentum excutere, hastam valide vibrare, gladio cæsim & punctum ferire, mari classem dirigere & inter duo maxima ineuitabiliaque mala, quæ animus meminisse horret, ignem & aquam, invictos esse: Et timebitis quæso nunc septi vallo, fossa, niœnibus, muro centumpedali in præsidio vestro, in arce vestra, incredibili tormentorum machinarumque appara tu instructa: quam annis ab hinc quadraginta contra tot barbaros nudam & inermem defendistis, eam nunc relinquitis nec pugnabis duce hoc magistro vestro Philippo Vilerio Liladamo cui bellicæ omnes artes à fortissimorum Liladavorum patrio auitoq; sanguine hereditariæ ac gétiliciæ sunt cuius solum nomen victoriam & triumphum se contemplatibus pollicetur? Siquidem Philippos ab equorum studio Græcis dicta vox perinde sonat Latinis, quasi dicas bellacem ac victorem. Nonne si colligamus gerenda gestis, huius tam fe-

lix tamq;

lix tamq; incruenta Sultanicae clavis expugnatio , abunde id temporis victoriam pollicetur? Eya ergo fortissimo & constanti animo obsidionem tolerate, aderunt ab occasu Regum ac ordinis vestri parata subitaq; auxilia, & pugnam alacriter capessite, nec timete hostes tantum angusto scuto & ense nudis fœmoribus dependenti contentos: nam galea & lorica omnino non vtuntur , & prudenter . huiusmodi enim arma non decent stolidos & fugaces , si res primo conatu non succederit, viros decent in acie stantes, paratos vincere , vel pulchram per vulnera mortem oppetere, quorum alterum optabile, alterum (si necessitas cogat) viris Christum simul & militiam professis, non pertimescendum.

Hac oratione accensi equites sunt, & magnus Magister, dataq; ei notitia est omnium quæ nuper allatus obses manifestauerat, quem vt inueni vrbane vestitum, ita moribus rusticum. (siquidem gens Turcica à pueris nulli officio aut disciplinæ, sed tantum pascendo pecori assuefit) & ad omnia liberè minimeq; fucatè respondentem, Turcam classem parare in finitimis Carig, Lyciæ regionibus, delectum militum habere mitendorum in longinquas Hismaelis Sophi prouincias: nec fellit, siquidem tyrânus vt à nobis (quos omnia explorare nō dubitabat) belli suspicionem auerteret, gentem vicinam durâq; & bello natam procul ad angustias Amani montis tuendas misit, ne inde Sophus in nuper acceptum Sultani regnum erumperet. sed parum profuit dolus , nam magister stipatus armato satellitio centum delectissimorum iuuenum quibus prærerat. F. Ioannes Bonauallis, pollens viribus & decora facie eques Auernus, vt obsidendi animum adderet , muros, stationes, locaq; singula obequitauit , impigre suorum & hostium res pariter explorans, quid boni vtrisq; aut contra esset inquirit, molem molendinariam munire iubet qua parte occasum spectat, mariq; haud alto abluitur. Franciscus fresnayus Romangius eques Gallus, morum facilitate, liberalitateq; omnibus acceptissimus, qui postea ad stationem Italicam pugnans occubuit, loci & magnæ onerariæ nauis sacræ militiæ præfectus, mandatam prouinciam summa cura atq; industria exequebatur: Nam ante molem quam aggere contabulatis que turribus ac vasis luto & terra madefacta impletis munierat, tormentisq; variæ magnitudinis vt cuiq; aptum visum est loco dispositis, firmauerat. Naves magnæ minorisque formæ

saburra

faburra saxonis grauatas paululum à muro altiore mari de-
 pressit , quarum obiectu impedimentoq; triremes hostium à
 loco prius machinamentis audaciaq; militum expugnabili re-
 motius arcebantur. Portus septus est valida ferreaq; cathena
 immanis ponderis transuersum ante fauces proiecta , trabi-
 bus etiam quæ supra vndas natabant, validis anchorariis fu-
 nibus inter se connexis, quæ à turri molendinaria ad arcē Ni-
 coleam obliquo tractu protendebantur, quo opere usus maris
 hostibus ademptus est, elusaq; maritima oppugnatio postula-
 ta & commissa cum cæteris piratis Turcensibus Cortugolo,
 cuius frater in robore , carcereq; Rhodiano cum diu squalu-
 ifset admotus obsidione hostili, inter mille & amplius Tur-
 cas, publicis operibus insolens, auræ & lucis diem extremum
 obiit cum aliis multis, quos tam hostium foris immissa torme-
 ta, quam domesticæ ærumnæ vigilando , agendo, festinando,
 portando omnia debilitatos orco tradiderunt. Plures præte-
 rea in tumultu quodam populari temere exorto , miserabiliter
 occisi sunt: Nec canū melior quam Turcarum fortuna fu-
 it , hi enim quod in culina pascantur & cibatu qui homini
 proprietor est, à pueris totavrbe suppicio affecti sunt. Magister
 equitum ne quid imparatum inexpertum ue sinetet , paratis
 omnibus ad bellum necessariis, ciues ad se in prætorium vo-
 catos, in hanc sententiam allocutus est . Magnanimi viri, ci-
 uesq; optimi, audimus hostem Turcam permagno ex diuer-
 sis gentibus collecto exercitu ad nos properare, à cuius inna-
 ta crudelitate, solitaq; perfidia, nisi nos ferro vindicemus, mi-
 hi equitibusq; meis ac vobis etiam vnum & commune peri-
 culum est. Siquidem vnanimi conspiratione & opera res eius
 grauiter terra mariq; affliximus, præda ex agris eius vi ab-
 eta, estis locupletati. Gentem suam hodierno etiam die graui
 seruitute opprimimus, iniuria ille, nos iure optimo dicimus.
 Siquidem maiores sui specus subterraneos & tenebrosa antra
 Caucaſi rupis amplius non ferentes, nullo iure , nullo titulo,
 nulla causa, sola avaritia & dominandi cupiditate, odioq; san-
 ctissimæ religionis nostræ irritati, Christianos Syria primum
 expulerunt, deinde Græcos sua Græcia, non vna morte g̃tis
 contenti, sed vt semper fera & immanis est barbaries , anima-
 variis exquisitisq; tormentis eripuerunt. Quos iste supra æta-
 tem malus & arrogans puer, omnibus grauis accola, Arabiæ,
 Syriæ, Aegypti, regni Perſarum magna parte totius Asie do-
 minatu,

dominatu, tot præterea locorum ac populorum imperio non contentus, Tyrannide, cæde, bello, rapinis, perfidia, odio, impietate erga Christū & homines superare conatur, & nostras insulas, terrasq; Christianorum vniuersas occupare mirabili-
ter laborat. Vt tandem rerum omnium & mundi Dominus diruat Christianas vrbes, Christianos obtruncet, Christianū nomen sibi tantopere inuisum penitus deleat. Quam non ferendam iniuriam vt propulsaremus, sedem potissimū in hac Rhodiensi insula delegimus, quod hic locus ad bellum barbaris inferendum visus sit cæteris opportunior. Fecimus quā tum in nobis fuit, adiuti sumus à vobis, experimento cognouimus quanta sit virtus, fides vestra, quam ne nunc mutetis, nulla suspicio. Quapropter non agam multis, vt in fide & of-
ficio permaneatis, nec longa ambage ad virtutem vos horta-
bor, quam fortibus verba nec addunt, nec demunt. De me ac
equitibus meis diuo Ioanni deuotis parce quædam loquar. Sū-
cum his quibus (vt spero) aderit principum Christianorum
& aliorum equitum meorum qui in occasu sunt, peropportu-
num auxilium, paratiſſimus defendere vos, liberos vestros,
coniuges, fortunas, phana, monumenta maiorū vestrorum, &
cœlestiū deorum delubra. Quam opinionem, vt fixam im-
motamq; vestris mentibus retineatis, efficere possunt, ne quid
dicā aliud, fidele ingenium meū in bello, nec segne omnino,
nec rude, corpus sana & perpetua valitudine ferendis labori-
bus, & excubiis aptissimum, equitum meorum nobilitas & a-
mor erga vos, inimicitia in hostes. Vrbis præterea fortitudo
quam hic sacer & nobilis ordo ingenti pecunia aduersus o-
mnem tormentorum vim atq; impetum sic egregiè muniuit
fossa, vallo, muro, mœnibus, turribus, propugnaculis, vt nulla
sit ciuitas que huic nedum preferri, sed nec æquari possit. Ad
hæc armorū telorumq; incredibilis copia, vinum, caro, frumē-
tum sub terris conditum, ne humor, aer, curculioe corrum-
pere possit, mire abundat, hominum ad bellum aptorū haud
paruus numerus. Lignorum magna vndiq; strues: aquæ salu-
berrimæ quæ inclusis obsessisq; plurimum ad varias necessi-
tates vtilis esse solet, larga & indeficiens vbertas, quæ om-
nia certam victoriam, certissimum & optatum belli euentum
nobis spondent, addo quod ex nostra parte pugnabit necessi-
tas, pugnabit fides, pietas, constantia, pugnabit amor patriæ,
amor libertatis, amor parentum, coniugum, liberorum. Illic
voluntas

voluntas magis ducum quam militum perfidia, impietas, inconstantia, desiderium vestrae seruitutis, odium parentum, coniugum liberorum vestrorum. Procul dubio charissimi ciues non sicut Deus Optimus tot tantasque virtutes ab ipsis vici superari. Estote ergo animo pacato & seculo, nihil hostile, nihil ominosum metuentes. Tantum in fide, quam tot annos difficillimis bellorum & fortunae casibus impliciti, sacro militari ordini illasam seruastis: Permanete, & si necessitas postulet, armis dextrisque virtutem vestram hostibus ostendite, fidem facite Hispanis, Gallis, Pannoniis, Italiae, Britaniæ, Rhodios homines posse Turcarum spiritus reprimere, illorum classem & exercitus ab Italia auertere, cui tot annos ferrum & flamas minatur. Ad quam mirabiliter festinant & peruenient si (quod animus abhorret dicere) hic vicerint, neque enim ambitiosus iste puer animo, perfidia, crudelitate Hannibalem superans, Hannibalem imitabitur: qui facta ingenti ad Cannas Rhomanorum strage victoria ut nescierit, Sed continuo celeritate Iuli Cæsarē vincens expositis omnibus opibus Aegyptiis quas pater in direptione Cairi reperit, Apuliā, Calabriam, Siciliā magna classe, magnis exercitibus inuadet: Inde in Gallias irrumperet, Mox petet Hispaniā, ceteraque Christianorū regiones, omneque crudelitatis genus in universo exercebit. Sed altius me rapit oratio quod velim, aut opus sit: fides enim & virtus vestra magnanimi ciues in tolerando & oppugnando hoste firmior est, quam ut oratione indigeat, constantior quod ut malis quae inclusos obsessosque pati necesse est, confungi possit: quanquam illa quae vere mala sunt, famem & siti omni non sentietis. Quas tamen populi aliquot fide virtute & animo vobis nequaquam comparandi constantissime pertulerunt. Siquidem Petellini à Poenis obsessi parentes & liberos propter inopiam eiecerunt, ipsi coriis madefactis & igni siccatis foliisque arborum & omni genere animalium victimum trahentes, undecim mensibus obsidionem tolerauerunt, nec antequam vires ad standum in muris, ferendaque arma deerant, expugnati sunt. Casillini obsessi ab Hannibale murem centum denariis emerunt. Excubias in stationibus agere necessarium erit, domorum ruinas si tormentis ejaculata saxa inciderint, equanimiter tolerare: Sed reparari possunt haec mala & minora sunt, quam ut ideo ditionem faciamus hosti, in cuius clementia fideque nulla spes est. Præterquam enim quod

quod natura crudelis & perfidus est, tum nobis, qui illi tot mala intulimus, à quibus solis sibi ut ait dominatori terræ & maris quo eum sæpe deturbauimus resisti dolet, nullo modo imitis, fidelisq; esse poterit, quos toties marte aperto, vi publica, ingenio, astu, dolo, fraude adortus est. Verum semper conatu irrito opitulante nobis Deo optimo maximo quem ante omnia velim charissimi ciues propiciemus: nisi enim ille custodierit ciuitatem, frustra vigilant custodes.

Postquam omniū animos alacres vidit, cohortatus ut petitionem suā curæ haberent, conuentū dimisit, & solennē supplicationem quam etiam dies tempusq; anni expostulabat, ad phanum Deiparæ virginis indixit. Comitatus sacram maximāq; hostiam latam circū omnia cōpita medius inter paludatos equites sequente maxima hominum multitudine Deū optimum maximum precatus est, ut bellū quod instaret bene feliciterq; sibi, populo Rhodio, & nomini Christiano eueniret. Respondere omnes rem diuinam rite peractā esse: preicationi annuere cœlites iri posse quo vocaret Christiana religio & inimicorū audacia: Deum & sanctissimum tutelare numen omnia læta faustaq; portendere, vrbis protectionem, victoriam, & triumphum: quæ dum vulgus cui pleruncq; plus animorū quam consilii est festiuissime ante bellū cantaret, viros primores prudentioresq; magna cura occupauit, qui summo studio ut vulgo feliciter opinata contingere possent, procurare nō cessabant. Inter quos frater Clemens Pontifex Græcorum clarus abstinentia, & ingenio, nec non Græca facūdia merito connumerandus est, qui Græcos suos ex vetere fortuna olim stupenda orbi animum adhuc retinentes, oratione quām appositissima ad obsidionem fortiter strenuēque tolerandam, est cohortatus, loco publico pro basilica mercatorū & ante sacram imaginem Deiparæ virginis è summo primo Phano gentis allatam, ut oratio hoc modo luce religioneq; commendator, cui populus ille alioqui deuotissimus est benignioribus auribus accepta efficacem magis aculeum in animis audientium relinqueret, sed nunc orationem ipsam adscribo.

Optimi magnanimiç; Dores, rumor aut verius certitudo belli quod nobis instat diuersissimas inter se res gaudium & metū, in animū ingessit meum, neq; profecto scio utro magis cōmouear. Nā dum tacitus tecum classes, copias, exercitus,
D vim,

vim, magnitudinemq; hostium mente reueluo, totus tremore
 horreo. Verū dum animus æger ex solicitude vt fit, in spē
 rapitur, atq; in admirationem præsidii Latini & fidei, fortitu-
 dinisq; Græcorum, repente mutor, & is qui non eram, fio: ex
 sollicito, liberrimus: ex pauido timidoq; audax: è tristi, alacer,
 & gaudēs, spondeoq; mihi titulos, spolia, exuicias, victoriā ac
 triumphū de immanissimis hostibus. Et si me benignis vt cœ
 pistis pergatis audire auribus, aperiā vobis spei & pollicitatio
 nis meæ rationē. Sed inuocato prius Christi Iesu Dei nostri
 Optimi Maximi, & deiparæ virginis mariæ auxilio, ante cu-
 ius imaginem sacrosanctā conuenistis, in quo primā maximā
 que victoriæ nostræ rationē pono, hinc sensim ad humani in-
 genii vires confiliaq; mortalium descendens, cerno generosif-
 simorū equitum constantissimā fidem erga deum, erga rem-
 publicā: cum qua collata illa Marci Attilii Reguli fides mul-
 tiplici cōmeatu, omnibusq; aliis quæ ad nostram salutem, ho-
 stium excidia, pertinent, refertissimam. Tamen libere dicam
 quod sentio meo more, neq; ad gloriam vestram nec ad Lati-
 ni præsidii vires nimium eleuandas. Hæc vrbs contra tot ho-
 stium conatus, tantas barbarorum copias nihil potest: nihil
 etiam valet Latinum præsidium, nisi coeat fortitudo & fides
 Græca, quæ ne Latinis tam necessario tempore fraudi dolo-
 que sit: vos precor, non quod hic prece multū opus putē, sed
 quod sciā Turcas vos hortaturos, vt à Latinis desciscatis: qd
 enim est illis optatius, quām vno tempore & vos circunueni-
 re & nefario scelere vos obstringere! Aut quid irati grauius
 de vobis sentire possunt, quām vt eos prodatis, qui se vobis &
 omnia sua crediderunt, & in eorum potestatem veniatis, qui
 se per vos periisse, ac tot dānis, tot contumeliis, totq; iniuriis
 affectos æstimant. Redeat obsecro in memoriam maiorū ve-
 strorū fides, non domestici scriptoris, sed externi Latini T.
 Liui omniū mortaliū iudicio digni, cuius inuicto calamo, in-
 uicta populi Romani res gestæ conscriberentur, testimonio
 celebrata, qui multa egregia, erga populum Rhomanū terra,
 mariq; ausi sunt. Nā cū Antiochus Philippū Macedonem ad
 uersus Rhomanos exercitu nauibusq; adiuturus videretur, le-
 gatos

gatos ad Regē miserunt, si non contineret copias suas, se obuiā ituros, nō ab odio vlo, sed ne coniungi cū Philippo pate retur, & impedimento esset Rhomanis. Quæ honestissima legatio cum parum profuisset, Rhodii Rhomanos adiuuantes Antiochum Regem fusum fugatumq; & exutum castris, prius Europa, post Asia quæ cis Taurum monte est, expulerunt. Quare merito à Catone, quinto Originū libro (vt autor est Gellius) appellati sunt optimi fidelissimiq; socii Rhomanorum, quibus nec animum duntaxat bonum ac fidelem præstiterunt, sed etiā naualibus præliis quæ multis locis facta sunt, omnibus adfuerunt, nec labori suo, nec periculo vsquam parcentes, & quod miserrimum est in bello, cum Mithridates Asiam occupasset Q. Opium proconsulem, item Aquilum legatum in vincula conieciſſet, iuſſuq; eius quicquid ciuiū Romanorum in Asia fuit, vno die trucidatum esset, obsidionem, cum soli in fide Romanorum permanerent, passi sunt. Et in dissensione civili inter Antonium & Octauium vltores necis Cæſaris, & Cassium ac Brutum, cum petiſſent si in ciuili discordia à partibus abstinere, & æque omnes Romanos colere nō liceret, tantisper dum ipſi ad senatum mitteret, bellū differri, vt ex eius autoritate arma caperent, in uasa mox vrbe cum ira victoris cuncta quæ collibusſet, in matronas, in virgines effet operata, omnibus bonis mulctati sunt, frustra misericordiam cum multis lachrymis rogante venerando sene Archelao, à quo Cassius Rhodi Græcæ fuerat eruditus. Nā Aeschynes cum à repub. excidiſſet, huc doctrinā Athenarumq; studia intulit: fuitq; Gymnasium ea tempestate hic florentissimum. In quod cum Aristippus Philosophus Socratus naufragio in littus nostrum electus diuertisſet, & de Philosophia disputasset, magnis adeo muneribus est donatus, vt non tantum ſe ornaret, sed etiam eis qui vna fuerant vſtitum & cete ra quæ opus effent ad victimum, præstaret. Hoc Gymnasio Tiberius postea Romanorum Imperator amœnitate & salubritate insulę captus, ſine Lictore aut viatore ſæpe obambulans, mutua cū Græcis professoribus officia vſurpabat: in quo vt Antenodorū audiret Cato, huc ab exercitu nauigauit. Cicero quem vnum Latini contra tot nostros Rhetores & Philosophos obiicere ſolent, quiq; primus vnuſq; cuncta Philoſophiæ dogmata à Græcis accepta, eis tradidit, hic Appolonio qui eū tantum quantus eſt effecit, operam dedit. Et quam gra

tiam reddiderunt oro Romani Græcis? à quibus omnia honestatis probitatisq; exempla, omnem armorum literarūq; scientiā accepere, quorum fideli opera & industria domi forisque imperii sui ditiones propagarunt, nempe Cassianam ut audiuiti s, & Rhodiorum quos ideo superbiæ insimulabant quod fese superari superbia æstimarēt, opibus diripiendis intēti infensiq; fuerunt. Gentē vetustissimam nobilissimāq; vel fama rerum gestarū vel omni cōmēdatione humanitatis, doctrina rumq; ciuitatibus quas non tā liberaliter q; merito ob nauatā bello Macedonico & Asiatico operam dedere, multa uerūt. neque hac iniuria contentus Vespasianus, Rhodum cum adiacentibus insulis adempta libertate, in prouinciæ formā redigit. Verum optimi maiores vestri tot aliis supra alias affecti iniuriis magis quid illos deceret cogitantes quām quid mō rareretur aliorum improbitas, vtq; leuitatis ac perfidiæ notam fugerent, semper in fide Rhomanorum permanserunt. Vos quid nunc facere conuenit laudatissimi viri, tam præclara constantiæ & fidei domestica monumenta animo reputantes, pro Christo Iesu deo & homine, pro sacra militia, quæ non modo æquis legibus & facillimo imperio vos semper indulgentissime habuit, sed etiam fouit, nutriuit, locupletauit? Ingrati, malisq; animi est reticere quorum beneficio sis adiutus: Ingratissimi pessimiq; vero non rependere gratiam cum possis & debeas, cumq; omnimodo opus sit tua ope. Defendetis ergo hoc necessario & difficillimo tempore Rhodii, in quo nulla ingratitudo perfidiaq; vñquā cecidit, qui liberi etiam aliorum libertatis causam egistis, sacrū militare ordinem, arcē equitum, immo capita, focos, aras & fortunas vestras quibus insultat & vltima exempla parat perfidus Tyrannus, hostis fidei ac religionis, quā à maioribus vestris accepistis. Pro cuius dignitate gloriaq; asserenda, nullum discrimē ne mortem quidem certam intentata mō fugere debetis. Sed cum vos cōsidero Græci fidi, fortes, pii, ac vt vno nomine omnia cōplete vere Christiani, cum equitum Latinorum audaciam nobilitatemq; æstimo, magna me spes victoriarē tenet. Ite igitur, duce Christo Iesu, Ioannis baptistæ ac sanctissimi equitis Georgii secunda fiducia contra gentem impiam & nefariam, perfidam, quæ nunquam virtute, sed semper occasione freta, vicit: nullam regionem nisi domesticis malis ruentem occupauit. Eunuchos seruos orientis, imbelles Syros, fugaces Persas,

fas, aliosq; quos tepens Pharius, & leuum populoꝝ nutritor;
 Nilus emittit, tenero perlucentes amictu, & vix leue palliu vi-
 tando sole tolerantes oppugnare solita non Rhodios, qui i-
 stas primu g̃etes cū Imperatore suo Memphitico Halbuſato
 ingenti & fœda cæde fere ad internitione vſq; deleuerunt: &
 iteru adiuti à pontifice maximo Calisto. 3. quiq; ipsorū Tur-
 carū obsidione tantu nouē & octoginta dierū, octo milia p̃
 ter quindecim fauciatos morti tradiderūt: Sic enim numerū
 init Cauorſinus quaſi pollinctor mortuorum & vulneratorū
 omnium chirurgus, vidiſ ſol lætus ſpectaculo, audiuerunt di-
 uersarū terrarū populi, intra paucos dies euersores Asie atq;
 Europæ ab Ambuſono vno vnius Græcæ g̃etis duce ſtratos,
 cadaueribus ſuis eam terrā metientes quā pugna cōmittenda
 ſibi ſpondebat. Si diuina pietas ductu aūſpiciisq; Ambuſoni
 vos quoſ omne genus Christianū iuxta ac veteres illos Græ-
 cos heroas iāpridē intuetur, tāta cæde hoſtiū, tā celebri triū-
 pho insignire voluerit, quid creditis Christū Deum optimū
 maximū ſocio tutelari numine iā ministerio veftro ac ſerui-
 ſui Liladami principis vere optimi & nobiliss. aduersus cru-
 deliſſimos hoſtes ſuos acturū: certe mēs maiora oīo concipit
 q; exprimere audeat, verum euentus rectius ſpem pollicita-
 tionemq; qua me voſq; animauit dubio procul cōfirmabit. Mi-
 rum in modū Gr̃corū animi hac oratione accēſi ſunt:nā du-
 citur, rapiturq; h̃ec gens inter cæteras maxime nationes lau-
 de & gloria, tantuq; ſuadendo & hortādo hinc inde apud ho-
 mines effectum eſt, vt hoſtis magis cupitus fit, q; detestatus,
 nec diu multorum ſtultas voces infeliaq; ſibi vota remora-
 tus eſt. Quadam enim nocte elatis ē ſpecula ignibus in hoſti-
 co ſignum dedit: Miffaq; eſt ex templo cum lembo armata mi-
 litaris triremis, & in ea caſtrophylaca interpreſ, qui cum in
 prorā proceſſiſlet, commodiſ inquit, vnuſ hoſtium turma
 equeſtri circunfuſiſ ſi in terrā egrediaris, cum id facturum ſe
 negaret: quid inquit Xaici fortunā metuīſ? Ad h̃ec ille mina-
 ci & Rhodio animo Xaicus quem contra fidem ſacramenṭū
 que cœpistiſ nihil me ſolicitat, nec voſ quibus non credo, me
 tuo, cum ſermonibus de induſtria compositis vellent tempus
 protrahere poma remigi adiicientes: aut paucis inquit præfe-
 ctus de Puppi loquens mandata explicat, aut hinc faceſſite,
 niſi malueritis actutum bombardis obrui. Barbari primum
 equis & arcubus ferocientes vno verbo attoniti obſigna-

tam epistolam super saxum quoddam ponunt, ibi mandata
contineri, & cum dicto calcaria adigentes cursu quam conci-
tatisimo aufugiunt.

Epiſtolæ autem talis fuit ſententia.

Solymanus Tsacchus Dei gratia Rex regum, Do-
minus dominantium, maximus Imperator
Byzantii & Trapezuntis, &cæt.

Ruerendo patri Philippo Vilerio Liladamo magno ma-
gistro Rhodi, Equitibus, & vniuerso populo. Commoue-
runt me afflictissimæ gentis meæ commiseratio & ſumma in-
iuria veſtra. Impero igitur vobis percelerem insulæ & arcis
Rhodiæ deditioñem, pie vltroq; confeſſa gratia ſecurè abeu-
di cum omni p̄ciosa ſupellec̄tile, aut ſi libet manēdi ſub im-
perio meo, in nullo nec tributo quidem minuta libertate aut
religione veſtra. Si ſapitis præferte amicitiam & pacem bello
crudeliffimo: nam victos manent acerbifſima omnia que vi-
eti à victoribus pati ſolent, à quibus non defendant vos ar-
ma, domēſtica extērnā ve auxilia, nec ingentes muri, quos ra-
dicitus euertam, Valete bene, quod tunc demum fiet, ſi poti-
us quam vim, amicitiam malueritis, que neq; fraudi neq; dolo
vobis erit. Iuro deum cœli, terræq; auctorem, iuro quatuor E-
uāgelicæ historiæ chronographos, vicies quater mille prophe-
tas lapsos è cœlo, ſumnumq; inter hos noſtrum Mahumetē,
adorandos, item manes aui patrifq;, tum hoc ſacrum auguſtū
que meum Imperiale caput. Ex Regia noſtra Constantinopo-
li. Huic cum alii acerbius, quidam lenius, quiſq; pro ingenio
ſuo respondendum ſentirent, nihil eſt reſponſum. Eodē die
qui mensis Junii decimusquartus fuit, appulerunt ad Cos, in-
ſulam Hippocrate ſuo, Venereq; Apellea non minus quā fo-
lo cœloq; nobilem, triginta triremes hostiles, harum præfe-
ctus leui præſidio in nauibus retento, militem ferme omnem
in terram exposuit ad exurenda tecta & frumenta, quæ iam
prope maturitatem erant, atq; ad vicos, agrosq; depopulan-
dos. Verum Preianes Inſulæ Dominus vehemens, impiger,
ſummæ audacię vir, accensus indignatione, funefatam illis hāc
populationem fecit. Nam expedita manu peditum, cum tu-
multuario equitatu leuis armaturæ erumpens in prædatores,

per

per segetes, per agros palanteis, clamore classico, strepitu armorum simul à diuersis locis facto, tantum terrorem barbaris iniecit, ut cœcis & limphaticis nedum fugientibus similes, sine vi, sine defensione, in obuia tela armaq; incurrent: nec, nisi naues littori propinquæ plærosq; trepidos & fugientes ex cepissent, superfluissest cædi aut fugæ quisquam. Ita re infelici ter gesta, præfectus naues inde auertit, nec postea littus attigit. Rhodii haud minori ardore quam Turcæ in langone cœ perunt agros, camposque suos deuastare, & ex eis quæ diutine obsidioni tolerandæ necessaria erant, in urbem importarunt, exciderunt arbores, confregeruntq; omnia suburbana, Et quicquid amœni sanctiue prope urbem infra lapidem sta bat, demolitum, soloq; æquatum est: ne hosti integrum usui commodoq; foret, persuaserat hoc pridé populo. F. Gabriel pomierolus promagister, ærarii Triumuir spectandus domi forisq; facundus, callidus, amicitia facilis, multasque alias bo nas animi & corporis artes possidēs. hic postea in anticuniculum, via non admodum incōmoda gradiens, pede lapsus, lego so paululum capite, ilia perfregit, paucisq; inde diebus extinctus est. Nunc orationem ipsam adscribo. Ornatisimi ciues auditis Turcam ingens bellum moliri terra mariq; erga quæ, incertum, signa ostendunt quod aduersus vos militiamq; nostrā. Laborandum igitur ac prospiciendum nobis communiter omnibus ne ab hoste immanissimo imparati offēdamur, Nē ve negligētia aut imperitia nostra illi vires addat. Statuit igit̄ magistrus magister vicinas vrbi arbores excidi debere, domos dirui, ambitus murorum qui foris sunt solo eequari, quod vt finatis, rogat & iubet. Compertum est enim, relatione militum qui vrbes defenderunt & oppugnarunt, hęc posse obſerfis nocere & hosti prodeſſe, à quo vobis fortunisq; vestris idē quod nobis, & commune periculum. Nam in eadem, vt dicitur, nauī nauigamus. Magister quem hoc difficillimo tempore magnum & sapientem virum esse expertus sum, omnia le niter & modeſte cum populo, cum Equitibus agens, etiam vbi res poscebat grauiter, vt alios exemplo confirmaret, viridarium suum stationi Gallicæ præiacens, haud dubie amœnissimum, primus demoliri, extirpari q; præcepit. Dum per hunc modum omnia amœna, iucundaq; aspectu deformatur tristius omnino deformeq; magis spectaculum erat, quod vr bem prope maiori luctu mœſtitiaq; confecit, quam ipſe ad-

uentus hostium, miserabilis scilicet, multitudo inconditè turbæ agrestium hominum, ligna, frumentum, pecora, leguminæ, aues cortales, cæteraque necessaria vobis & quibus diuturnior obsidio sustineri posset, ex agris quod magister iusserat, vrbì inferentium, quos immista ac circunfusa turba sequebatur puerorum ac mulierum plorantium, quæ sparsis crinibus genas, faciemque suam, consuetudine patria, fœdè laniabant, supinas manus ad cœlum, ad Deum tendentes orabant, vt clamor Rhodum ex flamma, ferro, peneque fati faucibus eriperet, matresque Rhodias & liberos paruos inuiolatos seruaret. Colluvio ista agrestium in arcta tecta cum vrbaniis locatorū, animaliumque omnis generis cœlū graue morbosque fecit: contagiiosos tamē magis quam perniciales, profluuium alui & febrim. Verum cū istorum brutorū maxima pars, decrescente annonā, impasta, neglectaque ac sæpe morbida, per strata, per vicos relinqueretur, maioris & pestilentissimi prorsus mali seminariū factum est. Quod sero post fugam, deditioñeq; nostrā, vim suam in hostes & miseros qui remansere christianos sæue exercuit. Nec intacta ab hoc malo fuere obsidentiū nos hostiū castra: mutuaque familiaritate morbū cōtraxit gēs imūda icōpositaque multitudo. facile em à tactu cui cib⁹ caro p̄ter suillā vix semicocta, massaque tritico manu molito facta, atque in carbonibus decocta, humili, vti pecoribus pabulū & stratū, confecta vigiliis sitiique. Nam iudex vrbis venerabilis & exactus iā ætatis vir, pabulū & aquarū fontes lino putrido, aliaque simili materia corruperat qua venturū credidithostem. Qui priusque tota classe ad insulam obsidendā descenderet, arte atque insidiis vsus cū viginti longis nauibus reliquis aliquot auxiliari cū supplemento in statione ad Gnidum promontoriū haud procul ab vrbē Rhodo atque in sinu Symæ insulæ quæ Rhodiorum est relictis, per continuatos aliquot dies fretū medium inter oram Lyciæ & Rhodum insulam nauigauit: cogitans isto modo ad nauale certamen ē portu nos elicere. Spē enim habebat optimo sane cum consilio propositam si respō disset euentus, aut nauali p̄glio vincere, quod tunc temporis non multo minus fuisset, quam Rhodum expugnasse, aut res nostras destructo inter pugnandum flore militum hominūque nauticorum plurimum debilitare posse. Qui cum nullo fine facto nunc ad medium usque fretum veniret, nunc in altū regredieretur, inde iterum ad portum prope procedens classem

in con-

in conspectu explicaret plerisq; tum etate, tum ingenio feruis quibus non toleranda superba ista fiducia videbatur, cōsilium haberip; placuit faciendū, ne periculum naualis certamini foret. Cancellarius sacræ militiae idemq; ærarii triumuir multis illustribus factis domi belliq; clarus animo, immoderata incredibilia nimis alta cupienti, ingenio magno varioq;, copia dicendi larga & exuberanti quā prouectiori iam ætate cum in pueritia literis non vacasset, feriatus à bellis, negotiis que tum publicis tum priuatis, quotidiana lectione omnis disciplinæ autorum sibi præparauerat. Plinium enim ita nouit, vt nemo melius nomen digitosq; suos, cui ad summum honorem magistratūq; nihil obstitit nisi nimia incōsultaq; honorum cupido. negabat cessandum esse, aut enim inquit, vt erat lingua immodice liber, ingens ista classis ad cuius nedū vim aut aspectum sed solam famā plæriq; contremunt, quæ tamē noua non non est: nam singulis annis venire ad nos solet, his piraticis nauigiis veluti membris caput iungenda est, & tum vtilissimū fuerit, quod quidē superioribus robore nauium, numero, & virtute militari facillimū est, capitī membris defraetis huiusmodi dolorem atq; ignominiam infligere vt perpetuo inde langueat, vel nulla alia quæ in nos fabricata sit, clasis istam sequitur, quod mihi (fremant licet homines qui vmbram suam ac cœli ruinam metuunt) vero similius videtur. Nec enim tam vecors est Turca, vt hoc sero anni tempore post septimū Kal. Iulias huc moueat parte æstatis ad oppugnandam urbem commodiore exacta, & quam urbem? munitissimā, nullius idoneæ rei egentem, validissimo firmatā præsidio, vnde maiores sui semper cum clade & ignominia repulsi sunt. Cui prius quam cuncta expugnandis vrbibus reperta apud veteres, aut nouis ingenii inuenta admoueat, reliquum omne æstatis transierit. Hyeme autem cum vbiq; incommoda sit oppugnatio, tū in insula incommodissima, præsertim hac, in qua non portus ullus, non consistendi usquam locus. quin igitur deo & tutelari numine bene iuuantibus imus hosti superbissimo obuiam. Sed uno minaci indictulo ab adolescenti anxiōne classem suam alio destinatam à tergo inuadimus, dolo fraudeq; ad nos trāsmisso desides intra muros, mæniaq; nostra cōplosis manibus sedemus, nusquā mœtu ac paueore trepidi caput efferentes, timiditatēm atq; segnitiem nostram vocamus (si diis placet) artes fabianas, & utinam Fabii esse.

essemus, & nō potius Antiochi: Aetoli, quorum omnis ferocia in verbis: Vitellii, credentes sedendo aut votis debellari posse. Verū non votis neq; suppliciis muliebribus, aut his sensibus consiliis que timidi cauta vocant auxilia dei, parantur: vigilando, agendo, prospere omnia eueniunt. Propalam his ferociora dicendo tantum apud multitudinē effecit quæ plārunq; ex incertissimo animos sibi sumere solet, vt sibi pugnā deposceret, velle ait se abolere indignitatis maculā cede & sanguine hostiū, non esse se sine armis, sine animis, sine manib; Patribus sine quorū consilio magistro quippiā decerne re ius fasq; non est visum in hac rerū difficultate fortunā non esse tentandam, lictoribus tantū & à populationibus cōscriptis ad hoc mille viris hostem arcere placuit, qui cum videret spem suā eludi retro agēs classem ad Villam nouā (sic loco nomen) duodecimo ab vrbe miliario iactis anchoris descensionē fecit, segetibus tātum quæ prope maturitatē & pro derelicto habitæ erant deuastatis. Nā hominum quod aut invicis aut in agris erat iā in vrbē castellaq; sparsa per insulam hac illac munitiora concesserat. quam iniuriam dum vindicatū iret leuis armatura equitū, missō ad hoc nuntio à magno magistro redire iussa est: prudens enim dux militem ad maiores rerū casus seruabat, qui tota obsidione non ducē sed etiam militem egit, & interdiu aliquando cum his cibum cœpit, noctū səpissime ad tertīā vigiliam in stationibus mansit, aut obambulās, aut fortuito sedili ē ligno vel lapide insidens. In oppugnatiōibus ferocior q; patribus placeret, nec tela nec hostes formidās, semper tamen cauta potius consilia cum ratione, quam prospera ex euentu probauit. Fuitq; quod miraris inter tot curas, tam varios & anticipates casus semper eadē vultus gratia & maiestate, quem intuentes venerabantur & amabant. Huic addendū quod quicquid otii ac quietis à curis, ab oppugnationibus, à naturali v̄su, & desiderio corporis habere poterat, id totū in preces, & rem sacram conuertebat. Sæpiissimè enim maximā noctis partē solus ante altaria thorace tantū & galea manicisq; depositis, orando psallendoq; trānsi gebat, palamq; equitū & populi vox erat, nihil timeſcēdum, Rhodum magni magistri vigilantia precibusq; inuictam futuram.

Nunc restat operis difficillimi pars laboriosissima, nunquā sine ingentissimo lucu atq; mœrore omnium homimū nedū meo

meo memoranda. Népe in qua vrbis nobilissimæ semper lugenda deditio, & miserrima Hierosolymitanorū equitum figura continetur. Quam qui fando, audiendue temperare sibi à lachrymis potest, meo quidē iudicio, modicè christianus est aut parū prudens male intelligit quantā victoria Rhœdia vires Turcicæ auctæ sint, nostræ accisæ. Verū nūc omnis quere la etiā necessaria fera est, atq; ingrata. Quandoquidē Occidētis Principes qui obsidione moti non sunt, neq; excidio comouētur, poti calice furoris, indignationis, & iræ dei, quod vtinā iuyenili meo tātū calore effuderim. Sed vereor, atq; adeo vereor ne repugnans reluctansq; dolori meo veram vocē efferre sim coactus, & ne hi qui immisericorditer aliorū misera bilissimas querelas aspernatūr, iubētes quēq; saluti suæ cōsule re, dicētes secū non cōtinget malū, nec flāma, nec gladius hostilis nocebit nobis, mox ad palinodiā adacti Hieremiæ vatis fatale ac lachrymabile carmē recātare cogātur. Ecce gentē à longinquis & procul dissitis regionibus, gentē robustam, gētem antiquā, gentē cuius lingua ignoramus, nec intelligimus quid loquatur: comedit segetē, vineam, ficū & stirpē nostrā, deuorat panē, gregem, armentūq; nostrū, & ignis fius late omnia cōburit: quē ego iam iā scintillantē video, immo proximos lābentem flāma parietes, nec credimus infani rē agi nostrā. Sed cū omnia fulgore flāmę hostilis proprius admoto Italiā, Hispanias, deinde Gallias lucere videbimus: tunc inopes auxiliū humani ante aras & delubra diuū frustra afflictantes nosmetipso veniam irarū cœlestium, & malis nostris finem efflagitabimus. At respondebitur timeo, ab irato numine, oratio vestra conuertitur in peccatum, manus vestra & imperium vestrum sanguine madent suo prope diem flamma aliena Turcica exarsurū. Par est enim vt qui in terra vestra Christum dominum deum vestrum contempsistis, in terra iā non vestra sed hostium barbaros & immanissimos turcas perfertis, quod vt vehementer futurum timeo, ita rufus spero, & si quid veri mens augurat, opto, vt amor ac deliciæ nostri generis Christus Iesus satis se pœnarum habere putabit, si errati pœniteat. Illud enim potiusquam funestum quidpiā in prefatione ominari libet, ac precari vt velit orsis secundi libri prospero successus, attribuere.

Insignis

IN SIGNIS VIRI IACO

BI FONTANI BRUGENSIS IVRIS-
CONSULTI DE BELLO RHODIO LI-
BER SECUNDVS.



EXTO CALENDAS IVLIAS
 mane diei, nuntiatum est è specula stante in
 vertice montis diuo Stephano sacri, vno fer-
 me ab vrbe miliario, maximam classem adue-
 nire secundum flexum occidentalis littoris
 Lycii: commota ciuitas est acerbo non etiam
 inopinato nuntio:cūcta vario tumultu strepere:suo quisq; me-
 tu pericula metiri: & clamor vbiq; erat, qualis in oblidēda iā
 iā vrbe esse solet. Cumq; dies, 8. esset ab annua supplicatio-
 ne, circunlataq; sancta hostia, iterū exacto solenni sacro, vul-
 tu habituq; supplicum reuerentissime in circuitu phani tute-
 laris numinis ab Antistite sacri militaris ordinis portata est,
 & deus obsecratus, vt equites, hominesq; Rhodios, quos reli-
 gionis suæ propugnatores esse voluerit, etiam robore militā-
 di & felicitate vincendi donaret, ferrū, flamمام, cædes, rapi-
 nas in hostes numinis sui auerteret. Religione & sancta spe
 firmatis per hunc modum animis, sacraq; hostia sedibus suis
 reposita, clausis raptim portis, in muros concursum est: turba
 quoq; mulierum, puerorum, senumq; gressus suos baculo re-
 gentium & effudentium fese è domibus ad spectaculum ma-
 ximæ classis (nam ad tercentum & amplius naues omnis ge-
 neris fuisse dicitur) vias passim & turres, tectaq; domorum
 cōplebat. Venerūt naues hostiū longo agmine: prima præto-
 ria nauis præsidis Gallipolitani erat, cui classis cura, mariti-
 mæq; oppugnationis imperium mandatum à Tyranno fue-
 rat: agmen cogebat Archipirata Carra Mahumetes, postea
 torméto ab arce Telea accuratius emissio, orco traditus. Dux
 qui mediæ classi prærerat incertum, quare (nam vēto fauonio
 secundissimo vtebatur neq; aliter oppugnationem tentauit)
 haud procul à portu qui duabus vtrinque turribus multiplici
 & vario bombardarum genere munitis fauces suas dilatat, tri-
 remes explicare iussit, velaque contrahens, malos inclinans,
 & simul armamenta componens, demersis vtroque latere in
 aquam remis, oram vrbe versus legere cœpit. Re conspecta
 subito

subito ad arma conclamatum est, signa canere, decursus tota vrbe fieri, fortissimus quisque tendere ad portum, & molem quæ portus ipsius lœvum latum efficit, quâq; supra hostium iniuria obnoxiam esse diximus, & ab hoste peti homines putabant. Verum pirata cernens se bombardis obrui, nulla aliter mora facta, sublatis raptim dolonibus in altum non sine discrimine ignominiosoq; clamore Rhodiorum stantium pro muris ad reliquam classem se recepit. Que preteruecta ante urbem & ora propugnatorum sub signis suis acie instructa astantiū, cum sono, cantuque Musicæ militaris, terrorem non tam incusit, quam accepit, occupauitq; promontorium (Bo incolæ vocant) tertio ab vrbe lapide distans in orientem versum. Cumque is locus haud satis com mode tot naues capere posset, plæreç ante hostium in salo stabant. Sed cum Rhodii tormentis per muros dispositis barbaro hanc stationem infestâ facerent, proprius ad terram naues contraxit. Stabantq; ita in arcto stipatæ, ut vix ullum telum in mari vacuum intercederet. Audiui propositam esse à Hieronymo bartolutio florentino in rebus bellicis non inexercitato, rationem exurendæ classis, quæ cum ab uno ex præfectis ærarii (ut plæraç alia ad hostium perniciem inuenta) non probaretur, à collegis quoq; improbari coepit. Verum dum hostis tormenta & machinas cæteraç ad vrbis excidium pertinentia, è nauibus in terram exponit, locum castris eligit, terrestres exercitus à continentali in insulam traicit, & vrbis mœnia ac situm contemplatur, & qua facilius oppugnationem pati posset. Oppidani in omnes occasiones intenti, haud segne otium terebant, si quidem ante murorum fundamenta nullo ætatis sexusue discrimine facto, profundissimos puteos, altaç incilia in fossatis effodiebant ad cuniculos hostium excipiendos: quam rem vsu experimentoque compertum est, non tantum Christianis, sed etiam barbaris in hiatibus & effossis lacunis sese occultantibus, profuisse. Magnus magister F. Lodouicum Andugum equitem ad Imperatorem Carolum quintum in Hispanias misit, Rhomam ad Cardinales & sacros milites suos Italos, equitem Cladium Daucehuillum, in Gallias ad Regé atque equites suos Gallos, cum literis quibus opem miserrime vrbi, terra & mari obfessæ implorabat. Par autem erat cōmunem Christianæ religionis causam à Rhodiis primo strenueç susceptam, cæterorum quoque Christianorum Principum

cōcordibūs armis adiuuar. Sed fors aliter cecidit. Preianus cuius suprà fecimus mētionem vir cuius antiquorum & huius ætatis ducibus conferendus, terrestri prælio bonus, nauali optimus, ad pericula capeſſenda plurimum habens audaciæ, & inter ipsa pericula plurimum benignioris fortunæ, vt iure dubites fortior ne, an felicior sit, hyemē & æstatem iuxta pati, humi quiescere, eodē tempore labore & inopiam tolerare à pueritia assuetus, & quæ cæteri miserias vocant, voluptati habere: cum duos trésue dies metu hostium in deserto quodam scopulo latuiffet, nauicula exploratoria silente noctu excubitores fallens, Rhodum intravit: magnam spem & animum omnibus afferens: neq; enim milites alio duce plus confidere aut audere, nec magister vbi quid fortiter ac strenue agendum effet, alium quenquam præficere malle. Is dies noctesq; armatus intentusq; milites hortabatur, vigilias & stationes circuibat, opera quæ hostes igni ferroq; violauerant, sedulo reficiebat. Aduenit etiam è Creta insula consiliis atq; adhortationibus prudētis viri fratri Antonii Bossii Gabriel Martiningus Brixiensis in militia & toga spectandus, ac ex veteri illa Brixiensi probitate, quam Plinius celebrat, multum referens, mirabilis inuentor, ac artifex operum bellicorum. Qui quamplurimos cuniculos (nam quinquaginta quinque fuisse dicuntur) quos Turca propter scaturientem alibi aquam, alibi occursum indomiti silicis, ingenti cum mole difficultateq; agebat, perleui negocio ludificabatur, actis contra cuniculis & specubus introrsum ad murorū radices effossis. Res ipsa hortari videtur, quoniam de Rhodo obſessa agimus, eius situm paucis exponere, ac instituta maiorum domi militiæq;, quomodo Rempub. habuerit: vt in manus equitum Hierosolymitanorum venerit, differere.

Insulam Rhodū Carpathii maris, sicut ego accepi, habuere initio Telchines è Creta profecti, fascinatores & malefici generis homines, asperi incultiq; quos primū ferrū & æs operas scribūt: Hi neq; moribus neq; lege aut imperio cuiuspiam regebātur. Sed postq; Tlepolemus populis secū iūctis quos postea. 9. nauibus ad bellū Troianū duxit, ea habitare cœpisset, multo inde & apud deos, & apud homines celebrior facta est. Siquidē optimus maximus illius ætatis & gentis deus Iuppiter non contetus ibi ex diuino vertice Mineruam suam peperisse, etiam auro pluit: quod poetas fabulatos crediderim ob nimias

nimias opes, omniūq; bonarū artiū egregia studia, quibus is locus adeo resloruit, vt multi dissimulata patria mallēt se Rhodios nūcupari: quod duobus Apolloniis aliisq; contigisse, memoriae proditū est. Breuiq; res Rhodia in tantā claritatem & potentiam euasit, vt multis annis ante quā olympia instituerentur, plurimū toto mari polleret: eamq; potentiam ad Rhomanorum vīsq; tēpora Rhodii summa cū vi & autoritate cōseruarū: Estq; horū fideli opera & īdustria, nomē Rhomanorū in Oriente rerum potitū. His siquidē Rhodiorum vrbs magna atq; magnifica, commeatū, socios, naues, cæteraq; bello maritimo necessaria, sine quo Oriēs inuadi capiōq; non potuit, facile sup peditabat. Verum haud eodē omnino loco sita, quo nunc ab equitibus Latinis ære ingētissimo atq; opere ducētorū & qua tuordecim annorū constructa cōspicitur, ad extremam oram insulę, quā Manuel Byzantius Imperator post euictā Macrim Lyciæ vrbē, & diu peruagatā verius quā habitatā Cyprū, ipfis donauit. Possessionē tamen armis adepti sunt, Græcis ni-miopere Syris familiaribus, vt qui ægre iustum germanumq; dominū ferrent Latinos recusantibus: quos partim vi, partim metu tædioq; lögioris belli Guelmus villaretus Gallus variā fortunā domi forisq; expertus, æquis vtrinq; cōditionibus imperata facere coegit, adiutus à Ioanne. xxii. Pontifice & Rege Neapolitanō: semper enim regnū istud Rhodiis fuit: hac etiam obsidione cōmeatus duorū milium ducatorū & gratis & libere, sero tamen, hinc ad nos missus est. Cum quadriennium retro Luteciæ scholia quēdam æderē in Iustiani codicē, & cōstitutiones Bonifacii, Clemētis & huius quēm dixi Ioan. xxii. descripsi vitam eius ē variis autoribus, quorū nemo auxiliū Hierosolymitanæ militiæ prēstiti meminit: quāq; inter oēs cōueniat pōtificē hūc ni miopere studuisse Gallis, & sacrū bellū in Saracenos molitū. Verum domesticos annales hic sequimur, Regē tamen Neapolitanū haud nominatim exprimētes: Vilateranus Ladislauū appellat. Oppidū in planissimo loco possum est, & circunuallari coronaq; militum cingi potest. Nā portu tantum Septentrionem spectante, mari cingitur: reliqua parte in Occidētem vergit, planicie lapidosa haud magna latitudine, longitudine maiori inter ipsum, colleisque apricos patentes, qui vrbi adiacent frequentes fontibus domibusque, consiti oleastris, fiçū, vineto, ac cæteris id genus arboribus quæ in humo arida & harenosa gigni solent. Verū manus &

ars, naturæ defectum supplerunt. Muro enim atq; pro muro validissimo septum est: preterea tredecim turribus assurgen- tibus minaci specie horrens, quinq; maximis propugnaculis, omnem aduersus vim iniuriamq; hostilem firmatum, pluri- bus portis nobile, disciplinam militarem mea opinione nusq; fæuerius obseruatam aut exactam reperies: vrbis totius custo dia in has partes diuisa erat, à turri franca ingenti altaq; ma- g�itudine cacumen suū in cœlū prope ferenti, ad portam usque Ambosianā, qua iter ad montem Phileremū est, super cuius verticē tyrannus, facello deiparæ virginis, in balneas sedē que arcanarū libidinum & monstruosī cōcubitus mutato, arcem erexit: sub signis lileatis Franci stabat, quorū caput erat, F. Ioannes Aubinus natalibus & mœritis in sacrā militiā clausus. Hinc ad portā usq; diuo Georgio sacram infractum ro- bur equitum Germanorū vexillis Aquilaribus splendēs: ter- tio loco Galli, Auerni, finitimi equitibus Hispanis ambo bel li molem perferentes, quod ibi fossa tū latitudine profundita teq; minori foret: quinto loco, Phalanx Britannica pugnabat duce magno magistro: postea Galli Narbonenses: nouissima statione sed prima virtute legio Italica vrbem aduersus Pyr- rhi vim fraudesq; defendebat, ducibus. F. Petro Balio qui F. Georgio Aimaro ac Montaphio præfectis sauciis succeſſerat, & Gregorio Morguto antesignano Nauarrorū, copiarū auxiliarium præside: Verum fraudes non tam extraneus hostis quam domesticus efficacissima ad nocendum pestis struebat, siquidem ferox vna fœmina sanguinis turcici incompos mentis an amentia simulata, incertum: quæſtionibus enim nihil exprimi potuit, serua ciuis amplissimi ad rem atrocem & maximo cuique viro audendam animum adiecit. Decreuerat enim cum aliquot coniuratis (numerum non teneo) in ma- ximo quopiam tumultu & inuasione hostili per diuersa vrbis loca incendia miscere, quorum periculo consternatis & deferentibus stationes suas pugnatoribus, Turcam nudata præſidio mœnia occupare posse, non inepta ratione collige- bat: sed defuit, re indiciis & confessione conciorum comperta, audaci incepto suus euentus, sumptumque de noxiis supplicium est. Turca per idem tempus nondum vniuerso apparatu oppugnandarum vrbium mœnibus admoto, col- lem quendam eminentiorem occupauerat, in quo Phanum D. D. Cosmi & Damiani stabat, pone virginis Elimo- nitræ

nitræ facellum, frôte in stationem Anglicanam directa, hinc magis exercédi militis causa, q̄ nocendi nobis, leuibus tātum tormentis vtens, in vrbe iaculari cœpit. Postea vineas agere superq; aggerem iacere, vallo & fossa loca vrbis quibus im mī nebat circundare, comparatis ad opus huiusmodi impletio nemq; fossarū & cuniculorum, maximos subterraneosq; labores die ac noctu cōtinuatos, quinquaginta milibus agrestium hominum assuetorum magis agro ac pecori quā bello: qui cū moræ culpam statim fuisse, aliquando capite luerent, incredibili celeritate effecerunt, quod posse effici negaretur. Excissæ sunt ab his rupes durissimi silicis, & campi montibus aggere equati, & complanata fossuris montium iuga, quos Rhodii nihil tutum munientibus patientes primū missilibus summo re: deinde ad erumpendum etiam in munitiones atq; opera animati, porta pātefacta inuaserunt, turbatis vndiq; clamore & impetu fessis laboribus: nec animus nec ars ad resistendum fuit, qua quisq; potuit per diversas vias fugam faciebat, etiam milites custodes operum. Instabant ferociter Rhodii, crescente (vt fit) & alieno metu audacia, multi qui explicare se ab impedimentis nequibant, aut alio casu tardati, fœde occisi sunt. Et cum ingens multitudo accurreret è castris suis opem latu ra, maxima & latissima strages tunc per totos campos ædita est, omnia qua visus erat constrata globis æneis, armis, cadaueribus, & inter ea humus infecta sanguine. Nam tormenta in eum euentum per muros & turres præparata, in medias hostium phalanges, cuneosq; confortissimos, cum maxima vi fragoreq; & tonitru erumpentia, multos mortales pessundiderunt. Quo genere pugnæ cum hostem semel bis atque iterum eluderemus, munimenta sua noctu intentissimis vigiliis, quanta maxima poterat diligentia accelerabat: die custodiæ duplicitæ sunt, & tormenta ad exitum Rhodiorum opposita: quæ non tam in vrbe eos continuerunt, quām quod timebāt ne crebris eruptionibus nimium attenuarētur præsidii vires. Cūq; per hunc modum Rhodus terra vere obsessa esset, mari etiam die noctuq; naues aliquot vento & remigio mobiles ante portus hostium in salo starent, adierunt præpropere magnū magistrum nautici quidā, parati seu versare dolos, seu certæ occumbere morti, dicentes rationem à se inuentam qua hosti petroportunas insidias struerent, sineret modo eos facere, periculi esse nihil. Animus magistri paululum arrestus

E iii annuit.

annuit. Illi melopeones, vuas, aliosq; anni & regionis frumentus scaphæ imponunt, mutati arma atq; ornatum, promissa barba, capite, consuetudine Turcarum, linteis turrito concéidunt: tertia vigilia cœlo obscuro tendentes ad eam insulæ partem, qua traiectus in continentem erat, gnari lingue & gentis, fructus suos venum exponunt. Coemerunt mox Barbari profundæ intempestiuæq; ac folididæ gulæ. Epulas enim & quocunq; tempore, vel ante lucem, & quocunq; loco sumunt, pro trahuntq; illas à medio sæpe die ad medium noctem distenti & madentes inter exoletorum ministeria: sunt enim libidinis in mares profusissimæ: nam persuasissimum habeo neminem Turcam pudicum aut vlla corporis parte purum esse. Diuiditis hoc modo pomis ac fructibus, & inter contrahendū hostium animis atq; consiliis cautè exploratis, nostri nauiculam à terra moliuntur. Turcæ quibus obsidionis initia tantum mirum in modum displiceant: nam præ inusitata multitudine tormentorum, qualem nec viderant vñquam, nec audierat, nusquam recipiendi sese tutus locus erat. Omnia enim vi & impetu lætales bombardæ Rhodienſes penetrabant. hortari, obsecrare nostros, vt in continentem illos traiiciant. Qui simulata recusatione, negare se id facturos, nauiculam modicā esse nec tantæ multitudinis capacem: ægre tamen vt videbatur barbaris, septem aut octo admiserunt. Hi ingenti dolore suo, nostro vero gaudio Rhodum adducti socio interprete à Preioanne & F. Gabriele summo militiæ præfecto, turrim tē pli diui Ioannis æditissimam scandere iussi sunt. Vnde per omnem circunuicinam insulam atq; in castra hostium prospectus erat, cum multa & varia pro ducū arbitrio rogati sincere respondissent, inter cætera quod hic ad scribendū putauit renunciarunt tumultū, ac etiā rerū nouarū initia, coniurati onesq; cōplures intra hostium castra exoriri, militum aliquos cum ingens multitudo quotidie fame miseria tormentisq; ab vrbe emissis periret, & locus sepulturæ vacans nullus extaret sub pellibus teguriolisq; se continere: nec inde à ducibus, voceue præconis extrahi posse, plurimos secessionem & fugam meditari metu magnitudineq; præsentium & futurorum periculorum: quegentes frustra se conari: dicentes duces si fani essent, vim inexpugnabilibus inuictisq; non intētatueros: Rhodum nequaquam Albæ Panonicæ comparandam: præesse Liadatum cum selectissimo equitum robore, nouas auxiliariū

copias

copias vel iusto prælio accessuras, resq; melioribus & felicio-ribus quam ad Albā ducibus geri: quæ cum ad gratiam à ca-ptiuis auribus seruientibus dici æstimabantur, res tamen ipsa postea patuit. Nam Pyrrhus assiduus desertorum & seditio-forum inquisitor placatorq; tali enim tempore lenienda magis quam punienda vis erat, literis Constantinopolim missis Tyrannum in castra vocabat: opus esse celeri suo accessu, o-mnia seditionem & turpem fugam spectare, militem obsequiu-um rumpere ausum, & imperia aspernari. Interim dum tyrá-nus iter parat, compertū à ducibus per transfugas est (quos le-uitas ingeniorū in omnibus bellis præbere solet) turrim pha-ni Christianis pro specula esse. Quare promouente etiā odio crucis in fastigio erectæ, nihil antiquius habuerunt, quam cre-bro ære magnitudine capitali bombardis excusso, turrim illā deiicere. Quod dum diligentissime faciunt, ecce Tyrannus quinto Calendas Septembres hora postmeridiana in castra venit: ibi cum in villam pernecessarii mei Iacobi Galteri quæ Megas andras dicitur, vel casu vel nomine loci arridente de-scendisset, offendés omnia quæcunq; dici aut fingi queunt, i-gnauia ac pauoris exempla in illo exercitu, nihil instituto di-ciplinaq; militum, aut imperio eorum qui præerant, agi plus ex malis moribus sollicitudinis quam ex copia ducentorum milium militum auxili, aut bonę spei accipiebat. Nihilomi-nus ætate & indignatione tam erga suos quā Rhodios effer-uens, seruata tamen temperantia inter iram suam & culpam subiectorum, vocatos ad concionem inermes atq; etiam gla-diis depositis armato peditatu quindecim milium chiriboa-deriorum quos secum adduxerat circundedit: simul & fugge-stum ascendens sedit tacitus paulisper animo secum cogitás vtrum in autores tantum seditionis animaduerteret, an plu-rium supplicio vindicáda tam fœdi exempli defectio magis quam seditio esset. Vicit sententia leuissima ad multitudinē fatis esse castigationem: tum silentio per præconem facto ita cœpit. Serui (neq; enim eos milites appellabat) ambitiosius id æstimans quam aut ratio militaris aut maiestas sua postula-ret) quod genus hominum? Turcæ ne? militare vincere assue-ti equidem corpora, ora, vestitum, habitum meorum facta di-cta consilia leuium transfugarum & desertorum video. Neu quantum me fefellit opinio mea. Abiit illa vis vigorq; turcen-sis, dilapsa sunt robora corporum & animorum quibus Ara-

bes, Persæ, Syrii, Aegypti, Mesii, Panonii, Tribali, Epyrotæ, Macedones, Thrases superati sunt, immemores patriæ, sacramenti, disciplinæ militaris aduersus ducum iussiones, aduersus summi imperii mei maiestatem ausi estis pugnam detractare, fugam moliri inani cogitatione, ac timore mortis & periculorum militaribus viris indigno Rhodum si quis domi in conuiuiis, in compotationibus, in circo, in foro nominaret expugnaturos vos lingua iactabatis, vix temperabatis manibus hic experiri vim virtutemq; volo: sed credidistis forte cōspectis signis Rhodios supplices ante portam se & sua in fidem potestatemq; vestrā tradituros: desinant omnes hoc spe rare & dicere, mihi qui compertissimū habeo credant. Ignobilis & infamis ista cauea quam videtis plena est feris effera-
 cissimis quarum rabiem nunquā sine maximo labore & cruce vestro domare poteritis. Domabimus tamen, nemo enim adeo ferus est ut non mitescere possit. Quod donec perfece-
 ro, hic aut mori aut consenescere decretum, ac iuratum, secus si vnquā dixerit feceroue tum hoc caput cum classe exercitu & Imperio diris execrationibusq; obnoxium deuotumq; semper esto. Nec plura effatus, nisi quod clemens magis quam sōuerus princeps videri & esse cupiens omnibus primorum er-
 ratorum veniā condonabat, citati deinde nominatim omnes apud Tribunos in pulsoribus timore pudoreq; in verba Ty-
 ranni iurauerunt hunc finem exitumq; seditio militum apud Rhodum cœpta habuit, omnia deinde melioribus auspiciis & intensiore ducum militūmq; cura acta sunt: statuebātur locis diuersis duodecim æneæ machinæ obsidione Aubusoni quintum numerum haud superantes ore in cœlum erecto, baſe arctiori versus terram, iactu bimestri qui altera obsidione tantum nouem dierum fuit, dies noctesq; continuato, globos saxeos epta palmares in tecta templaque semel fere in caput magni magistri proiicientes, sed plus omnino timoris quam veri periculi attulerunt. Nam cum sonitu campani æris diuer-
 so ab eo qui vel oppugnationem vel vim tormentorū in mu-
 ros quatiendos indicaret, homines à speculatorē sedente in fa-
 stigio phani periculi admonerentur, duobus milibus huius-
 modi globorum tantum decem occisi sunt: quod inter cætra quidam Apella renatus medendi artis professor hosti pro-
 didit. Cui versato inter milites trepidatione detecto, tormen-
 tis expressa confessio est peracti facinoris. Iecerunt etiam glo-
 bos

bos cupreos plenos intus bombardis digitalibus, & inter eas exurimenta, bitumen, sulphur, pix liquida, foris coopertos sae pius in orbem tortis funibus, cui stili ferrei acutissimi inhære bant. Hi longo igneoq; tractu volantes, dum casu suo crepabant, omnia fœdo fumo atq; odore obfuscantes, quicquid astabat cui incidenterent stili illi, bombardulae q; fœdæ necabat. Sed cum huiusmodi tormenta nec diu plueret, & saepius non fragerentur, liberata est ciuitas ancipiti periculo. Efferatior vis erat quadraginta bombardarum, quæ iactu saxorum rotunditatis palmorum nouem, aliquando vndecim, deformare magis quam solo æquare murum poterant. Harum vna cum in domum quam forte fortuna haud infeliciissima præterib; furibundo impetu irruisset, volatu suo me prostrauit. æthiopi sequenti, lapis euulsus, caput & collum minutim contriuit. Et quia in Aethiopum nomen incidimus, nolo ḡtem quamquam seruilem frustrari sua laude: tota enim oppugnatione dominos strenue & fidelissime adiuvit. Inter machinamenta hæc, quæ oppugnatione altera ducis Paleologi haud plura q; quindecim erant, duodecim vastæ & immoderatæ longitudinis æneæ machinæ globos æreos saxeosq; multo maiores iusto capite, in oppidum euomebant, quibus appositissimè nomina à serpentibus basiliscis indiderunt, quod tam machinæ quam belluæ contactu suo omnia fœdantes, parem noxam misseris mortalibus adferant: ante ora omnium istarum machinarum saepius uno die in stationes singulas centum & triginta missilia excutientium: quod licet multis supra naturam videatur, tamen ita rem esse diligentí obseruatione compertum est: barbari quo eas seq; à bombardis & conspectu Rhodien-sium intactiores seruarent, tabulas attignatione cōtigua inter se iunctas opposuerunt, quarum medium, transuersus introrsum axis sustinebat. Has Turca superiori capite funibus ad tormentorum calcem reducto, cum in tantum altitudinis subduxisset ut capita machinarum detecta apparerent, mox apposito ad forulum tormenti igne, murum quatiebat. Est etiā alia arte atq; ingenio hostis vñus ad tutelam suorum tormentorum quæ sine rotarum adminiculo super contiguas tabulas humi prostratas iacentia texerat valvis, non altis neq; se expandentibus, sed quæ fune ductorio à milite vtrinq; intra fos-sas abscondito clauderentur & aperirentur. Rhodius huiusmodi opera quibus confractis reliquum diei & tormentum hosti

hosti inutile reddebat, præcipua cura ac diligentia tollebat: sed tantam animi præsentiam virtutemq; hostes præstiterūt, vt noctu reficerent, quæ inter diu bombardis dissipata erant: qua reficiendi pertinacia, & crebro suo missili igne, incédiisq; cuniculorum Rhodii sero inopiam tormentarii pulueris sen-ferunt, quem rotatu molarum per dies noctesq; quinque men sium continuato, bis septem fortissimi equi ex splendido illo equitio magni magistri atterebant, inter irrequietos triginta & sex liberorum hominum labores. neq; enim tunc temporis seruili ministerio in re tam periculosa vtendum videbatur: idque ne qua fraus contingeret, loco fideli custodia septo: cuius caput erat primum. F. Desiderius antagallus præfetus Maniacensis, postea Gulielmus Parisottus eques Gallus. Turris Nicolea quam liberalitas Ducum Burgundiæ struxit, quod insculpta marmoribus insignia attestantur, super mollem, dextro cornu ante portum admirabili antiquitatis arte & sumptu in mare projectam, in qua stetisse ferunt Colossum illum Solis inter septem orbis miracula primum, qui cum ter ræmotu corruisset, iacens quoque miraculo fuit, neque Rhodii quod Strabo dicit prohibiti erigere rursus potuerunt: mira & supra fidem captumque humanii ingenii, de hoc Colosso prodit liber Græcus quem penes me habeo, seu verius libri quædam vetusta pars incerto auctore. Quæ licet nihil minus semper quæsiuerim, quam vt plus iusto à rerum ordine declinarem, hystoria in quinque libros dilatata, cum multis aliis inter iter & fugam mihi visis auditisque explicare proposueram, vt opere varietatibus distincto, legentibus amœna diuerticula essent, & animus mihi per varios casus, per tot discrimina rerum in Latium acto, memoria repetitiōneque præteriorum periculorum constantior ac deuotior Deo liberatori redderetur. Sed id quoque alia ratione effici potest, quare non putaui operæ premium bonas horas vltierius in re nec vtili nec necessaria collocare. Verum nunc ad rem turrimque Diuo Nicolao consecratam, cui cum supplemento trecentorum militum, inter quos fuere tringinta fortissimi & nobilissimi sacri equites, præsidebat Frater Guiotus Ragusus Gallus eques, magnitudine, animique industria singulari. Hanc Turcæ per idem tempus diutino impetu tormentorum, non modo inutili sed etiam opprobioso ipsis tentarunt. Quæcunque enim tormento opponebantur,

bantur, ea tormentarii arcis primis fere ictibus aut arte sua, aut diu Nicolai ope adiuti disrumpabant. Cumque per hunc modum omnis conatus diurnus irritus ludibrioque hosti esset: noctu ad Lunæ lumen, nihilo meliori fortuna (bombardis inter diu sub terra defossis, ne à nobis frangerentur) turrim impeditit. Quæcum occasum versus pateret hiatu commode equitem cataphractum capiente facto, supra quingentos bombardarum ictibus, dimissa nec aliter tenta à Barbaris est. Verum circa mœnia ciuitatis cum totius orbis oculi hoc bellum spectarent: opus mirum in modum feruebat. Ingens cœptū, pertinax conatus, par vtrinque labor, industria & spes haud dissimilis Rhodiensi die noctuque irrequietissimo ad varios conatus hostium, neque ars neque vis defuit: nam immani specu sub terram infra propugnaculum nouum effosso, fossatum rude re, saxe, terra, sarmenis. Opera hostili impletum, sedulo repurgabat transuersis cuniculis hostium, cuniculos duos & triginta excipiebat, & palam, ac clam cœptis inimicorum audacter obuiā ibat, qui cum nonis Septembribus ab imo ad summum aperuissent partem haud paruam per egregii propugnaculi Anglicani, incenso inflammatoque cuniculo, cuius violenterissimo crepitū tota vrbs non aliter quam motu naturali semel obsidionis tempore facto contremuit: quem cum sentiret magnus magister ante altaria armatus, mediusque inter processos sacerdotum canentium in facello pro introitu propugnaculi, Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina, capio omen (inquit) hostis adeat: festinat in adiutorium Deus: danda nunc opera nobis est commilitones fidelissimi, fortissimiisque, ut hic ordo auspicato institutus, per tot ætates maioribus cultus, nec ab ullo hostium adhuc Iesus, quantum in nobis erit, in columnis posteritati tradatur. Eoque vehementius quod maius dedecus est parta amittere quam omnino non parauisse: plura dicerem nisi strenuis abunde dictum esse putarem. Et simul cum dicto, sequente satellitio armatorum, plenus spei bonæ atque animi in hostes tendit: contra quos inferentes signa licet vndique tela coniicerentur: custodes propugnaculi arma & corpora intrepide obiiciebant, deturbabantque manipulos militum per hiantem fissuram ingredi conantes. Hisque turbatis ac pedem referentibus, cæteri qui pone erant, quos nec extrecti aggeres, nec timor satis muerat: nam plæroque iacula tormentis aut manu emissâ vulnera

nerabant, paulatim retrocedere cœperunt: quorum ignavia in
 crepita, dux Mustaphus si ipsi cunctentur, solum ascensurum
 se minatur. Barbari ducem circumfundentes cum v lulatu, stre-
 pituq; moris sui in pugna ineunda certamen instaurant. Aē-
 quatis itaq; viribus præliū aliquandiu atrox fuit, summa vi &
 duces hortabantur & milites pugnabant. Potuissentq; barba-
 ri si aduersus partem ruina prostratam leuia tormenta oppo-
 suissent, cum vix quisquam nostrorum sine cæde, aut vulnere
 stare potuisset, eo impetu propugnaculum capere: sed cū vn-
 dig; tubæ clamor, adhortationes aures circunsonarent, in ca-
 pita toto turbida cœlo tempestas telorum ferreusq; ingrueret
 imber & oppidani equitibus immixti saxa & picem sulphu-
 re tedaq; admixtam in Turcas coniicerent, nec animos, nec
 vires Christianorum amplius ferentes. Nondum receptui si-
 gno dato, terga verterent, turmatimq; abibant, nihilq; ordinū
 aut imperii memores passim qua cuiq; proximum fuit fuga ef-
 funduntur: bombardæ per muros dispositæ in abeentes & va-
 gos cruentissimam stragem fecerunt, vti prius cū è castris ma-
 gno agmine in prælium ruerent. Ceciderunt hac oppugnati-
 one multi Christiani & inter strenue pugnantes & occisos e-
 quites Gallos Hispanosque, Philippus quidam Lommelinus
 Ligur negotiator qui ab Alexandria venerat Stampalea ci-
 uis Rhodius. Plurimi vulnerati sunt. F. Henricus Mansellus
 signifer. F. Petrus Mela Saonensis Præfectus cuiusdam onera
 rie nauis qui ambo vulnere obierunt. F. Michael dargelmunt
 summus triremium & propugnaculi præfetus, amissio sagit-
 ta oculo, post grauem infirmitatem superuixit: enituit etiam
 in huius propugnaculi custodia fortitudo cuiusdam equitis
 Itali quem Baptistam Rhomanum vocant & F. Francisci te-
 lis Lusitani: hostium quos belli euentus aut læsit, aut necauit,
 certum numerum scribere non possum: qui modestissime mi-
 hi loqui videntur, mille cęsos ferunt. Templa lustrata, suppli-
 cationes indictæ, Deo ob victoriam honos habitus. Muliercu-
 la quedam Hispanæ gentis singulari vitæ sanctimonia, que ab
 vrbe Hierosolyma redierat, nudis pedibus frequens circa aras
 & templo, stipem publicam quam non tam ſēpe emendica-
 bat, quam à ſponte offerentibus accepit, rursus in pauperes e-
 rogans, ſedulo hominibus religionem incutiebat, Deum pœ-
 nas flagitiosorum iſto bello expetere: ceterum vltione scelera-
 torum facta, vrbī & mœnibus parsurum: hęc ſibi per quietem

atq;

atq; inter preces obnúciata esse persanctè affirmabat. Et iam sanctum aliquid & prouidum habere putabatur. nec aut con filia eius aspernari, aut respósa negligere vulgus volebat, adeo deuinetas sibi habet mortalium mentes religio : sed miseros fecellit sua vates. Dum hæc domi agutur. F. Desiderius Podius præfectus arcis Feracleg, qui multarū rerum cognitionē in recessu habet, quā vt est modestissimus palā nō ostēt, ex insula per nauiculam nūciabat, captos perfugasq; ad se dicere, quod magnates quidam in Rhodo, secreta consilia cum hostibus cōmunicabant, qui viam sibi subterraneam sternebant in septo equitum exituram ad Phanum Ioannis Colossensis. Sic enim à Colossi illius quem diximus memoria, non quod quisq; Colossas Phrygię ciuitatem cum Rhodo confundat, lo cum appellant Græcitā Turcarum quā Latinorum imperio subiecti, qui linguā tantum Græcorū habent sicut specie hominum moribus ritibusq; efferaciores quā vlli Barbari. Magnis animorum motibus ciuitas agitata est nuncio perniciōsi & occultissimi mali: neq; enim scire poterāt homines qua via contra foderent, quo loco, quo tempore, die an noctu, in ocio vel in tumultu eruptura foret vis illa terrigenarum. Iamque non pro muris & mœnibus solum vigiliæ erant, sed quisque domi suę magnis præmiis primo euulgatori à Magistro propositis, qui armatus, anxiusq; terræ partū expectabat. Indicia coniuratorum cum nomina haud exprimerentur, Magister silentio suppressit, verum prodidit exitus. quinto Idus Septembres, quintoq; die post primam oppugnationem, propugnaculum Britannorum quorum hac obsidione nō contemnenda manus bello periit, prælio multo acriori primo, iterum tentatum est. Irruperant per ruinas septem animosi vexilliferi cum delecta iuuenum manu. Et cum pauci propugnatores pluribus pares esse non possent, ignominia accepta fuisset, nisi delecti equites duce magno Magistro cum signo sacræ militiæ superuenissent: ad cuius primum conspectum Turcæ haud aliter quam fulgetris miraculoue attoniti cum superiores essent, ad suos se receperunt. Mustaphus impigre suo munere fungens, inclinatam nulla notabili causa aciem sedulo restituebat. Cæteri duces, militem terga vertentem iterum vi, gladiis, & exhortationibus in prælium retruserunt. Itaque pudore & imperio superante metum, pugnam denuo capessunt.

Rhodii imbre sagittarum laborabant. Sed cœperat omnium animos pectoraq; obliuio vulnerum, mortis cogitatio aberat. Hoc vnum solum meminerant, hos esse hostes, quos superiori pugna cum strage & ignominia repulsiſſent. Qua virtute dum prælium in tertiam horam protraheretur, Barbaris vires animiq; defecerunt: inter duo milia quæ manus militaris & tormenta prostrarunt missa sinistro cornu è propugnaculo (Cosquiné quod vocat) dextro Hispanéſi ceciderūt tres Satrapæ induiti holosericeo pallio ad pedes demisso, tam inhabili ad pugnam indumento barbaros vestiri moris est. Ex nostris, pro tanta multitudine hostium, sanè pauci, signifero F. Ioachino decluys sagitta ex oculato vexillum amissum fuisset, nisi propere. F. Emericus Ruyaſlx singulari magnitudine eques Auernus illud ab hostibus seruasset. Venerat hic cū cōmilitone suo. F. Baltasare Augustino equite Hispano ex Creta insula in Rhodum obſeffam (magnum & audax facinus). Iterumq; per mediā hostium classem in pacatū iuit, copias auxiliares acceleraturus: sed inuidit diligentiaſuæ & misere vrbis fortuna. Mustaphus secundo iā prælio infeliciter cōmisso, vilescere apud Tyrānū cœpit. Pyrrhus quo apud eū omnesq; Turcas gratiā & dignitatem suam tueretur, aggerē è terra lapideq; ante stationem Italicam intra mœnia prostruetum, agna diligentia continuatoq; impetu decem & septē immanum Bombardarum quatiebat: nec segnius stationem equitum Galliæ Narbonensis quibus imperabat. F. Raymundus Ricaert preſes Bithiniæ cuniculis & tormentis demoliebatur. Habuerant ambo ſibi à quopiam qui ſpecie emēdæ an cillulae à Georgio Sanctorino ciue Rhodio ſecreta vrbis notauerat perſuafum, oppidum hac parte capi poſſe: quos quoniam res obtulit ſilentio præterire non fuit conſilium, quin vtriusq; mores quantum ingenio poſſem, aperiſſem. Igitur hiſingenium, crudelitas, perfidia æqualia fuere, magnitudo ani‐mi, par item religionis noſtræ contéptus, in mares libido ambobus profuſiſſima, que in Pyrrho minuit ætas, auget in præſide Caſſio: hic dando audendo ignoscendo (ſimulat enim clementiā, vt pleraq; alia bona) gloriā adeptus eſt. Ille autoritate, conſilio, ſtudio publicæ vtilitatis apud ſuos clarior: ſed hac parte & reliquis oppidi locis nobiliflum eques è Narbonensi Gallia. F. Gabriel chier præfectus augustalis, fraudibus & conatui hostium ſemper mature obuius fuit, paupe‐res

res urbanos atq; agrestes profusissima largitione pecuniarū suarū ad cunicularū effossionē cui operi pr̄sidebat impellēs quod vbi sentiebat Cassius, paululū impetus suos repressit. Pyrrhus pr̄durus & pertinax senex, equites Italos quotidiani fere ac leuibus preliis laceſſebat: s̄ a pe etiā instruēta sub signis acie illos aggressus est, siquidē. 10. kal. Septemb. iustis copiis occultis intra vallū decē pedū altitudine muros ciuitatis superās, structum seruili ministerio hominū ex Mœſia, Wallachia allatorū, aggerē militarem illū erectū principatu optimi Emerici Amboli magni magistri Rhodii, quē diximus muro Italico pr̄giacere, cū subita iuuēnū manu inuasit, trucidatis aliquot, qui pr̄ſidio erant, & omnia magis quā pr̄eliū expectātibus. Sed cū repentina sonitu æris cāpani, ingēs urbana multitudo, immisiſt etiā facri milites accurrerent, maxima vi certari cōptū: hostes equo loco pedē firmantes, haud facile depelli quiuerūt. Pyrrhus strenue laboratibus succurrere, integrōs pro fauciis accersere, omnia prouidere: contra equites memores nominis Rhodianī & pristinæ virtutis suæ, pugnā æquabāt. Quod ille vidēs, signo dato, recentes suos extra val lum prodire iubet, scalis, grumnisq; ac cumulis lapidum tormentis euulsorum, agressi milites prope summa cōperant: oppidanī in subeuntes saxa voluere, ignes longuriis ad id ipsum factis immittere, detrudere eos sparris ferratisq; sudibus Bombardarii propugnaculi Cosquinēsis & Carectani quod custodiebat venerandus senex. F. Fernādus gentilis latus op̄ pugnantiū petendo & nullo tormēto fere fruſtra emissō maximam hominum armorumq; stragem ædiderunt: extremū tunc agmen procedere nō audebat: primores sensim retrocedere cōperunt: signa equinæ caudæ quæ principum naualium sunt, & impicta lintea quæ ducum terrestris exercitus fluctuare. Quod dux videns, postq; duas horas maiore animo quā fructu pugnasset, canere receptui iussit: nostrū plurimi læsi: inter cæſos occubuerunt equites Itali, hostium ingens numerus. Mouerat iratum ducem in nos iactura nobilissimi viri (ſi modo vlla sit inter barbaros & vnius Tyranni mancipia nobilitas) qui pridie huius diei tormento traiectus, occubuerat: dū incautius inferiori, veste holosericea: superiore, redimiculo aureo induitus, longam virgam rubram manu gestans, ante ora propugnatorum obambularet, aiunt fuisse pro tyrannum, penes quem summa rerum insulæ Euboæ erat. Solymā-

nus hoc amissio: haud minorem dolorem concepit quam ante, quū bombarda accuratius ē statione Anglicæ emissæ, ei ingeniosissimum artificē, summumq; rei tormentarię præfectū abstulisset. sed nunc ad tertiam oppugnationem Anglicanā stilum diuertamus: quæ vt felicius quam duæ primæ Mustapho procederet, operam & consilium cum Achimeto Hispanorum oppugnatore partitus est: hic cum maximā muri partem quem illi tuebantur, ignito, violentoq; diffractu subter effosorum cuniculorum in altum aera eieciſſet, nube terreni pulueris obfuscatus, statim maxima vi adortus est: neque segnius Mustaphus quinq; vexilla inferens, Britannos aggrediebatur. Pugna duobus locis simul anceps & atrox fuit. Mustaphus vnumquemq; nominans hortabatur, putaret se contra latrones, piratas, pro patria, pro libertate, pro aris, atque focus (quæ toties illi violarunt) certare. Cōtra Rhodii manus magis quam verbis strenui, intrepide resistebat. Christophorus Walderic armorum & nauigandi peritus, Germanus eques, qui Rhodiis in pace ius laboriosissime ac integerrime dicebat, quum Pr̄sidis Græciæ omnes contra se conatus, supra terram bombardis, & subter cuniculis ludificatus esset, ne cessario prædio ad stationem suam dimisso, huc se conferēs, cominus gladio cum hoste depugnans, duo illi vexilla extorſit: Barbari omnes cum strage & ignominia reiecti. Achimetus miles & si animosior fuerit, nā in summa altissimi muri euaserat, nihilo tamē felicior, leuibus enim tormentis iussu & consilio Martini ſingi per tecta domorum in frontem oppositis, & leuo latere bombardis noui propugnaculi cui præſidebat. F. Ioannes Maupasus, item dextro ex opere militari ad radices portæ Athanasianæ quod. F. Florentius Guiereaux diu magno animo & periculo corporis defendit, missilibus impetus, victoriam nobis reliquit, nec lata nec incruentam: nam strenuissimus quisq; aut occiderat in prælio, aut grauiter vulneratus decesserat. Preianus in gula tormento vulnus accepit, nec tamen latale. Ioannes Buoch strenuus & magnanimus eques, ærarii triumuir, & Thurcomastix (id dignitatis nomen in legione Britannica est) cū ſemper vim & oppugnationem Turcicam futurā negafſet, morte ſua utrāque expertus est: occiſus est enim inter Anglos, quibus ut Hispanis cum ſupplemento auxiliari opem ferebat, hunc finem habuit ſecundus ærarii Triumuir. Tertiū Deus

ad gra-

ad grauiora meritaqe supplicia seruauit. Achimetus strenuus alioquin ac prudens dux, indignatus quod voti compos non fuisset, propugnaculum Hispanum maiore posteá vi tormentorum quatiebat: modico inde spatio locatorum: nec minorem vim omnium quæ ad vrbes euertendas pertinent experti sunt Auerni, quos in prælium ducebat Frater Raymundus rogerius magnanimus, & strenuus eques, patre Gallo Rhodi natus nono kalendas octobres, aduersus hunc, commissum sibi locum strenue impigre^q tuentem, magna vis Barbarorū è castris processit spem habens fragrore cuniculi ducti ad Basim murorum, & pleni materiæ inflammatilis, inge tem mox, imposito igne, ruinam adfuturam, qua oppidum capi posse militi duces spoponderant: stabant iniquo loco Barbari, telisqe nostrorum obruebantur: nec cuniculus cuius tota vis in venas subterraneas contraque actos cuniculos euanuit, murum paratis ingredi aperiebat. Quapropter signo dato, clade aliqua accepta, nulla illata, statim redire in castra iussi sunt: murus qui occultam introrsum vim cuniculi & si palam non apparentem accepisse à ducibus æstimabatur, magno bombardarum numero, & impetu, per reliquum diei, noctemque insequentem diruptus est: tota nocte omnibus castris strepitus armorum, ingens hominum concursus exaudiri. Duces de summa rerū deliberabat, decreta in crastinum oppugnatio est. Tyrannus cupidus simul vincendi, & anxius contrario metu, quippe bellum hominibus sumere licere, victoriam in manu fortunæ esse, quæ ad eum diem ingentibus cœptis suis haud adfuisset: confidere tamen copiis suis, sperare fortunæ erga se mutationem: nulli hæreditarium vincere, victoriam vagari, à victore ad victum venire. Itaque cum spes metum vinceret, ubi paucis arbitris in tentorio suo obambulans, diu multa secum animo volutasset, duces ac tribunos militum ad se vocari iubet, eosqe pro prætorio hunc in modum alloquutus fuisse traditur. Vesta magnanimi duces fortitudo atque prudentia nulla indigent oratione, verum ut pauca dicam, male sana mens hostium facit: qui dum urbe tormentis lacera, cuniculis suffossa, dirutis templis, domibusque, cæde, labore, vulneribus fessi, quæ mala toties oppugnatibus accidere necesse est, primos spiritus, solitumque pugnandi ardorem non remittunt, videntur

tur militi nostro merito inuicti atque inexpugnabiles. Quam opinionem immutatam esse plurimum ad strenue feliciterq; pugnandum refert : facietis igitur illis vrbis potiundæ spem hortando, animum dando, promittendoq; omnia. Ad hæc aperietis consilii mei rationem, ne credant se ad vrbem vnam oppugnandam adductos: oppugnabūt vere mœnia vnius vrbis, sed in vna vrbe vniuersam Christianam capimus ditionē, hic cognati, affines, necessarii sunt omnium nobilium Regū, Principum, dominatorum catholicæ gentis: hic pecunia omnis hostium, cuius concessa direptio maximo vobis vslui ad conciliandos animos militum erit: hic tormenta, arma, omnis apparatus belli est, qui simul nos instruet, & reliquos Christianos miserabiliter olim trucidabit. Potiemur præterea tum pulcherrima opulentaq; vrbe, tum opportunissima, portu egregio, vnde terra mariq; quæ belli vslus poscunt, suppeditentur: quæ cum magna ipsi habebimus, tum demperimus hostibus multo maiora. Hæc illis arx, horreum, ærarium, armamentarium: hæc omnium quæ Turcas mariimo bello infestant, receptaculum. Hinc tutus in Brutios, Salentinos, Apulos, Siculos excursus. Sed cum considero vos magnanimi duces qui virtute, prudentiaq; vestra, opibus atq; imperio meo, ante duos omnino menses Belgradum adieciſtis, vrbem inuitam, inexpugnabilemq; vel proavi Mahumetis viribus: magna mihi spes quod nondiu latebris, clauſtrisq; ciuitatis tuti manebunt crudeles & contumaces isti cruciferi. Duceſ finita concione, mandata militibus explicabant. His vrbis nobilissimæ & opulentissimæ direptio voce præconis per omnia castra concessa est. Tyrannus, cum ægrum curis animum vtiſolet, ſomnus inuaderet, ſtrato ſe reposuit. Magnus autem magister cui inſolitus hostium nocturnus tumultus magnum quidpiam portendebat, armatus, intentusq; singula vrbis loca circumire, quemq; amica voce aut nomine proprio compellans hortari, meminerit ſe pro patria, pro libertate, pro vita excubare omnibus necesse viris fortibus eſſe, ſi motus intempeſtæ noctis in diurnam pugnam euadat. Respondere omnes bono animo ſit, neminem illi ſe viuis magistratum aut vitam erepturum. Cumq; ab hostium ſeruo quopiam christiano ad vigilis clamaretur, vltimam pugnam parari, vrbem prima luce diuersis ſimul locis inuadendam, Liladamus nihil temere, trepidue agens, conuocatos equites ſuos ſic alloquutus eſt. Lætor facri

tor sacri commilitones incidisse tempus, ut uno prælio ingētem gloriam parare, & arcem vestram tutando, orbis Christiani defensores, & numinis vindices à genere humano vocari possitis. Gēs in quam crastina luce pugnaturi sumus, sola multitudine fræta nos impedit. Cæterum si non numero, sed dextra, pectoreque virtutem metimur, haud dubium, pauci strenui multitudinem superabunt: nec genus belli: nec hostem ignoratis: cum his est vobis equites pugnandum, quos semper mari iam quinques, terra iusto prælio omitto, tumultuaria tota acie mœnibus admota, vicitis. Erit igitur crastino certamine is vobis illisq; animus, qui victoribus & victis esse solet, ne que illi quia audent pugnaturi sunt, sed quia tyrannus, & vio lenta imperia ducum sic cogunt. Igitur memores quibus parentibus, & in quam Christiani orbis de vobis opinionem orti, quæ terra vos genuerit, quæ exceperit. In illos, sequentes unum furiosum iuuenem cum indignatione quadam atq; ira, veluti si seruos videatis vestros, arma repente cōtra vos ferentes pugnabitis. Ad quod faciendum, non solum indignitas, sed etiam necessitas, quæ sola vel timidos fortes facit, cogit. Si quidem hic in insula estis, vnde nullus fugiendi locus: tum in vrbe, cuius laceri & defracti muri non tam vos quam arma vestra defendunt. Ideo crastina luce hic vincendum aut moriendum vobis est. Vna dies vel latam victoriam, vel laudandam omnibus sæculis mortem præstabit. Plura dicere parantem nuntius aduentantium hostium impediuit. Equites popula resque quos nouissimæ pugnæ fides & sperata victoria fortis faciebat, in muros cucurrerunt. Subito signa hostium canere, & vrbs ad stationem Italicam, Narbonésum, Gallorum, portam Athanasianam, quam aliter propugnaculum Anglorum vocamus, murum Hispanorum, & Auernorum quinq; simul loca inuadi cœpit. Mustaphus pauca pro tempore suos cohortatus, patetem ruina locum inuadere iubet. Turcæ propugnatorum globo illati summa vi pugnabant. Oppidanai vbi maius periculum, eo accerrime niti ac hostem propulsare. Neq; aliis in alio magis quam in seipso spem habere. Vndique ingens clamor & strepitus armorum. Funditur ater vbiq; crutor. Dant funera ferro certantes, hi cominus gladio, illi tormentis: que mira dexteritate torquebat frater Toros eques Hispanus, vita, & moribus integerrimus. Alii balistis & arcibus vtebantur. Vicarius agonothetæ ac summi principis de-

fertorum catholicæ fidei inter confertissimos Christianos egregia animi magnitudine pugnans, postquam multam intulisset cædem, tormento trajectus occubuit. Debuerat merito mors fortissimi ducis suis pauorem incutere. Sed nihil tā incertum quam belli euentus. Occisio vnius barbari reliquos in furorem atq; amentiam vertit. Mortem enim clarissimi viri ultum ire cupiētes, cominus gladio & procul nube telorū in iecta, nostros paulatim loco summoebant. Mustaphus suorum alacritatem cernēs, flammæ (vt dicitur) addebat oleum Mahumetem nomenq; Turcaicum obtestans, spolia, manubias, prædam: memorabat ferro viā per medias acies faciendā, quo sibi minus pepercissent, eo minus periculi fore, adfuere commodum fessis submissa subsidia, pugnam priorum cæde hactenus inclinatā recétes æquabāt. Et cū viri propugnarēt, fœminæ tela omnis generis, saxaque in muros gerebāt: anhelos sudore, pugna, cibo & potu ad portato reficiebant: nec minoribus animis milites Pyrrhi equites Italicos oppugnabāt. Anceps vtroq; loco prælium. Totius negotiis facies varia, incerta, fœda, atq; miserabilis. Hostes pro præda, pro imperio: Rhodiani pro vita, pro libertate, certabāt: nec erat vllus ordo, aut vlla tam inutilis ad bellum ætas, quæ eo die Hierosolymitanos milites non iuuaret. Pugnarūt prophani & sacri: neq; crucigeri sacerdotes tātum, quorum virtus tota obsidione haud sāne minor quā equitum fuit, sed etiā cucullati & inter eos Franciscanus quidam cui Ioanni Antonio nomen. Fœminæ, pueri, & cum his immisti senes, supra animi corporisq; vires defensoribus, tela ministrabant: lapides stratis effossos manu, fundis eiiciebant: ignes, sulphur, oleum incendiarium, picem liquefactam deuoluebant in subeuntes. Nec vlla perniciösior pestis ibi vehementius timebatur. Quippe vbi feruens semel materia artus aliquos apprehenderat, nec vlla vi quidem excuti poterat & quicquid attigerat per urebat. Iaciendo arma, lacerando indumenta, vnuis alium impeditiebat: turbari ordines, fluctuare signa, nec recétes audere fauciis succurrere, cum vndiq; in pectora tela ē muris missa volarent: in capita imber ignium & lapidum plueret: ad hæc clangor tubarum parua dictu, sed magni eadem in re gerenda momenti res, non tantum Barbarorum aures, sed etiam animos mire perturbabat. In isto ardore magno magistro hortati suos porta sancti Athanasii: huc enim eum quum prius ad statu-

nem

nem Italicam resedisset, prætorii sui cura strenuo ac nobilissimo equiti Fratri Antonio Monterolo commissa, belli neces-
sitas, periculorūq; magnitudo aduocauerat, nuntiatur propugnaculum Hispanum ab hoste captum: atroci nuncio vt par-
erat motus, non tamen defecit animo, sed belli curam emeri-
to Gombaulto præfecturæ Peloponensis titulo insigni relin-
quens, cum delecta manu iuuenum eo tendit. cœperant illud
hostes admirabili casu: nam custodum maxima pars excesse-
rat auxilio laborantibus tredecimo inde passu manipulis e-
quitū Hispanorum, quibus cum acriter conferebant manus
Achimetani milites pauci qui relicti erant: tormentum quod
dam armis manu positis intentissime aptabant in dextrum
cornu integrorum qui fessis aduersus Hispanos succedebat:
Et vt sunt in omnibus bellis ignavi multi, quidam ex his ho-
stes cum scandere in murum animus non esset, inter disiecta
saxa ruinasq; ad pedem propugnaculi aliquantis per pauen-
tes remansere: tandem cum supra se solitudinem esse intelli-
gerent, metu in confidentiam & fortunam verso, per cliuum
reptantes occupata deserta parte, paucos inermes & tormen-
to aptando intentos à tergo occiderunt, & extollentes patri-
um trucemque clamore deiecerunt vexilla. Turcæ qui intra
munitiones suas parati intentique stabant, concitato per me-
diam fossam cursu, suis agglomerare sese non cessabant, do-
nec condensatae vndique pilæ æneæ tormentis euolantes, im-
pedimento Barbaris essent: duas horas super muros ancipi-
marte propugnaculo dimicatum est, Barbari loco superiores
inuenta ibi saxa in subeuntes Christianos iacebant, submoue-
bantq; arcubus & tormentis multitudinem. Magister hortat-
tur, imperat quæ in rem sunt, quod plurimum ad accenden-
dos animos militum intererat, testis spectatorq; virtutis atque
ignaviæ cuiusq; adeat. Itaq; in vulnera ac tela ruunt, nec illos
muri, nec superstantes armati arcere queunt quin subeant. Hu-
go Caponus Hispanus eques, unus è quatuor tribunis mili-
tum, & Menotius eques Gallus cù aliquot auxiliaribus Cre-
tentibus in portam negligentia Barbarorum obice ferreo nō
clausam irruperunt. Cretenses infra teli iactum, Barbaros bra-
chio apprehensoris structis pugionibus transfodiunt: multi in
subter patentia mœnia deiecti, illiso cerebro expirarunt: accé-
dit recens ignominia iram in fortissimo viro Magistro mili-
tum, qui fidem Christi deseruerunt: & hortatus vulgum vt
seque-

sequereretur, primus cum duodecim fortissimis viris, pari ro-
 bore corporū & animorum, in suprema muri Hispani eus sit,
 quadraginta signa sua lunata defendens, nostra cruciata de-
 turbans, Imperatorem suum milites quamque fessi labore, fa-
 me, siti, & pugna matutina, quæ in medium diei lucem proces-
 ferat, gnauiter sequebātur. Liladamus cum sēpe alias memo-
 rabilis, tum hac præcipue pugna fuit: nam parte prætoriano-
 rum demissa intra recuperatum propugnaculum, cum reli-
 qua cohorte ad atrox dubiis euentus prælium accurrit. Hi-
 spani cæterique sacri milites & immisi his prophani, qui vul-
 neribus, cæde, ac lassitudine confecti erant, conspectu Magi-
 stri velut tunc primum pugnæ signum accepissent, redinte-
 grato animo & clamore, certamen restituunt, gladiis, saxis,
 contisque ignes præferentibus, ac densatis missilibus, stragem
 & cædem continuabant. Bombardæ locatæ per transuer-
 sa opera in summitate murorum, hostium latus fœde discer-
 pebant: neque segnius Auerni & Galli Narbonenses, Turcas
 trucidabant: per hunc modum cum pugna æquata esset, re-
 cens præsidium ex arce Nicolea eductum, rem ad se inclina-
 bat: cuius vbi per internuntios certior factus esset Soly-
 manus oppugnationem cernens ab alta specula procul è ma-
 lis antennisque nauium structa, receptui canere iussit, & Rho-
 diis, & Barbaris grato: Iacho Basso autem gratissimo: nam
 dum alii pugnabant maxime, ipse fugiebat maxime: quam i-
 gnauiam prope stipite luisset, per obsecnas inferioresq; cor-
 potis partes acto (huiusmodi enim supplicii fœditate Barba-
 ri fontes plectunt) Verum nulli iratior, infestiorque Tyran-
 nus fuit quam Mustapho belli istius machinatori, quod va-
 nioloquus, vt plærique palatini esse solent, spem suam inflas-
 set: quod falsis adulatioibus extollendo (verbis multipli-
 catis) eius vires, Rhodianas nimium mendaciis deprimen-
 do, occursurum ad littora populum vnde regiam classem
 aspexisset, facturumq; deditio[n]e & imperata spoponderat:
 quæ vanitas promissorum non sine maximo damno & dede-
 core nominis Othomanici iam pateret: quare mors ei indicta
 coramque transfigi à spiculatore telo imperans, volo aiebat
 oculos pascere. Iamq; supplicii apparatum lictor promebat,
 adeò torpentibus metu qui aderant, vt non modo ferocior
 vox aduersus atrocitatem pœnæ, sed nec gemitus quidem
 audiretur. Pyrrhus vnu[s] parantem se sagittarium sum-
 mouere

mouere ausus, prodiens ante tyrannum clementiam eius appellat, & vitam Mustapho rogabat: accensus ille audaci facto & indignatione, eundem pari suppicio damnat, quod se procul à regia, ab otio & quiete, in insulam ad maxima belli tempestatisq; pericula euocasset. Vniuersa Apocletorum concio factum deprecari, humum hostilem satis madere, non esse rigandam vltiori sanguine duorum clarissimorum ducum: itaq; cum ira iam deferbuisset, & admoneri se pateretur: Pyrrho prudentia & eius ætas, Mustapho coniunx, sororq; cui sui materni, vitam impetrarunt. Illuxit itaque dies hic tanta hostium strage, Rhodianis tam celeber quantum vñquam aliis quispiam ab vrbe condita: inter aceruatos corporum cumulos reperti duodecim Satrapæ: & is quem dixi vicarium Magistri scholæ militaris, cumulatae corporibus fossæ, strages omnina tenebat, corpora quædam adhuc spirantia, multi truncati, artus, diuisa quædam à corporibus capita, pectora, latera, terga multorum sauciata vulneribus, quidā iætibus saxonū in tegri, vel in mortem sopiti iacebant, vel ægram trahebant animam: tellus cruento atra, vndiq; tristissima facies & plurima mortis imago: & victoria ipsis miserada victoribus erat, si de alio contigisset hoste: Turcæ qui suos humare parabant, cernentes patentia occisorum viscera, fœditatem immanium vulnerum, horrorem concipiebant ingentem: nec defiteri aduerfos quos viros, que tela dimicarent: vigiles Rhodii pro muris excubates, palam eis maledicere, Pyrrho, Mustaphoq; vecordiam obiectare, Tyrano masculam libidinem, Rhodios caudæ salaci nouaculas acuere, ignem infamibus parare corporibus, quorum interemptorum, vulneratorumq; numerum certum nescio: nec si sciam referre ausim: is quem in diurnos commentarios suos temere tamen cōscriptos retulit nobilissimus eques & antiquarius. F. Macedonius haud dubio multum inferior vero est: duo tantum milia occisa prodit. Sed. F. Georgius Fauchellus eques Lugdunensis qui hac oppugnatione egregium sanè de se specimen exhibuit, hunc numerum ad cę fos solum pro vallo Italico restringit. Robertus perusius moribus & ætate grauis, atq; omnium que hostibus aut prospéra, aut aduersa fuere diligentissimus inuestigator, in oratione quam ad Hadrianum pontificem habere proposuit, cęsa narrat decem milia. F. Jacobus barbonius eques, clarus literis, naturalibus, ac virtute, cęsorum fauciatorumque numerū ad quindecim

decim milia extendit. Ego ad hunc modum argumento neq; temerario neq; improbabili, numerum ad. xx. milia augere non verebor : quantam enim hominum tum suapte natura, sanguinis & bonorum nostrorum auida, tum imperiis & exhortationibus ducum in cædem nostram impulsorum, stragem fecisse sex horarum spatio & quinque simul locis putabimus, tormenta, ignes, arcus, tela, saxa, hastas, lupos, ferreos curuos harpagones, denique omnia quæ ars aut prauitas humana hactenus ab quo condito in suam pernitiem excogitauit: plura vexilla hostes amisere. Itali equites cœperunt duo regia ingentis splendoris æstimationisq; à nostris præter plurimos sacros equites centum fere & quinquaginta prophanæ militiæ desiderati sunt: sauciatorū maior numerus. Decretū erat singulos equites aut lassos aut imperfectos nominatim recensere, Sed cum huiusmodi diligentia haud necessaria in historia sit, simul ne nimio studio recitandorum nominum fides mea lectori suspecta fieret, cunctos ob patriam pugnando vuulnera passos æquali silentio transire animus fuit: sua cuiq; gloria contigit: alii aliud decus tulerunt: nulla è Rhodia na militia natio expers suę pietatis, religionis, meritorum est: classis centum triremium armis virisq; instructa, tota oppugnatione fauces portus obsidebat, occasionem expectans si quo modo posset subito inuadendi. Sed præfectus cum vide-ret ab equite Franco qui. F. Petro decluys militabat, & sacro milite vltterioris Hispaniæ Lusitaniæq; omnes aditus à mari præclusos, haud ausus est concurrere, homo nequaquam militaris sanguinis, cui celebre maris imperium postea ademptum est ob animi ignauiam, & quod sæpe nimium falli se patetetur à nautis nostris: qui indies crescente inter oppidanos hominum & rerum bellicarum inopia, supplementum & cōmeatum importabant ex arcibus Lindo, Mauolito, Feraclo petrea quam ex ruinis Hallicarnassi, pyramidibusque Mausoli sepulchri inter septem orbis miracula nominatissimi strure cœpit Henricus Sclegelholt eques Germanus, dum Tamberlanus inuaderet Asiam, coniiceretq; in vincula Baraxetū Turcarum Regem: qui prius Pannonios & Ioannem Burgundiæ ducem, insigni apud Nicopolim prælio profligauerat, præterea ex insulis Cos, Lero, Calymnia, Nisero, Telum autem & Chalcea barbari haud longo ab aduentus sui die, inopia aquarum cœperunt, omnia crudelitatis exempla in viatos

etos exercentes. Sed cum res sic obtulit, non putauit silentio prætereundum facinus, nescio vtrum atrocitate, an animi magnitudine nobilius, quod ausa est supra vires, supra sexum suum mulier una Græcanici sanguinis, que cum arcis præfecto consuetudinem habebat, quem ut agnouit fortiter dimicando occisum, amplexa duos venusto corpore & amabili indole pueros, quos defuncto genuerat, postquam maternæ pietatis oscula extrema libasset, & notam crucis Christi lachrimatum periturorumq; frontibus impressisset, ferro atrox fœmina iugulauit, & trementes adhuc, exeunte simul sanguine, & spiritu, artus cum cæteris que chara habebat, in ardentissimum rogum coniecit, ne hostis (dicebat) vilissimus viuis aut mortuis, gemina nobilitate corporibus potiretur: & cum dicta in duens chari amatoris paludamentum madidū multo adhuc sanguine, accepta framea in hostes tendit: ibi egregia bellatrix & omnium sæculorum memoria dignissima virago, inter confertas hostium phalanges, morte virorum fortiter belando occubuit. Tyranno (ut à diuerticulo quodammodo in viam reuertar) postquam tot locis, omnibus copiis, tanto tempore urbem summa vi frustra oppugnasset, nulla amplius libido inuadendi aliena regna erat: ingentes illi spiritus considerant, nihil præter recessum & fugam meditari, linqui ad hæc sæpe animo, atq; collabi diu, sine voce simillimus mortuo iacere, memoria tot præliorum infelicer cōmissorum, strage tantoru ducum, tot fortiu militu, quorum sanguine haud temnenda Italiæ pars parari poterat, æger, torpens ac silens, diu omni humano accessu, atque colloquio, etiā complexibus, & venere Abrami abstinere quæ perdite deperit, quāuis agrestem opilionē & patre pecorario Ragusino natum, non equidem hoc dubites amborum fœdere certo Cōsentire dies & ab uno sydere duci: huius consilio Asiam ille regit, maximam Europæ partē moderatur, ab hoc bardo inepto, agresti in ostro, emasculato, nobilissimæ Italiam tot præclaris ingenii, tot præterea strenuis atq; magnis duabus, fœda mors & ignominiosa seruitus paratur. Sed Tyrani mente nihil æque sollicitabat, quā Lung ante initam pugnam deficiens lumen, que colore sanguinis suffuso, dira, fœdaq; apparuit diis inuitis ad Rhodium fatalem Turcicæ gentis pestis se venisse Abraimus & quæstor cui publicæ pecuniæ in diuersos usus ærogandæ cura fuit, animo metum excutiebant,

naturæ vicem esse Lunāq; deficere cum aut terrā subiret, aut sole præmeretur, tēpus qd' omnia domat expugnaturū quos ferunt flāma vincere non potest. Interea amœni recessus causa etiam terrendi magis obſeffos, munimenta in vertice mó-
tis Phileremi erigenda Tyrannus annuit: cœpta ſtru arx est
ingenti opere atq; ſumptu. Muſtaphus dum indies Tyranno
ſuſpectior eſſet, ſine autoritate, ſine gratia, præterea exulcerat
tam mentem habens ignominia nuper parati ſupplicii: nihil
enim magnorum virorum animis tenacius inhēret, quā iniu-
ria, literis ad ſagittā ligatis, hostiū cōſilia oppidanos docebat,
& fugā in vrbē moliebatur. Sed inuidit fortuna incœpto no-
bis ſalutari: nā cum in caſtris nunciata eſſet mors rectoris Sy-
rię, quem barbari Caierbechum appellant, Muſtaphus ad lini-
endā minati ſupplicii iniuriā, cum amplissimo imperio ut Sy-
ros in fide atq; officio contineret, ad Babilonem Méphiticā
miſſus eſt. Verū quando historiā ſcribentem non deceat pa-
rum cōperta pro veris narrare: lectorē hic admoneo quæ de
Muſtapho hoc loco dixi, accepiffe me ab hominibus magis
opinionem ſuā quā rei certā cognitionem ſequutis: quicunq;
tamen proditor & fugitiuſiſt euerit, magnū eū virū, ſecretorū
cōſiliorum participem fuſſe liquido conſtat: tria milia
Syrorum poſtea & quingenti Mamaluchi qui rectoris mortē
attulerant, per triduū leui certamine, ſed quo nullum nobis
nec moleſtius nec nocentius, faxa igneſq; iacendo, cum custo-
dibus propugnaculi Athanasiani bellum gesserunt. Verum
leui certamine, nec iusto prælio, neq; bombardis, cuniculis,
tormentisue clara Rhodos capi potuit. Iam quietis aliqua fa-
cies apparere efferacior, vis tormentorum cōtinere paulisper
ictus & boatus ſuos. In ſumma obſidio magis quam oppugna-
tio aliquot dies fuit: hostis tamen dies, noctes in fossis excu-
bans, dolum tentabat defensoribus mœnium: præmia modo,
modo formidinem oſtentans, Latinos tantum ad ſuppliciū
ſe cupere, Græcos vero Imperatorem Græciæ inuiolatos ſer-
uaturum dicebat. Sequuta eſt inde foeda imbribus hyems, to-
nitrua, fulgura, minæ cœlestes non ſolum corpora fessa labo-
re, metu, ac vulneribus, ſed etiam animos barbarorum frange-
bant: præterea asperum mare naues in ſtatione qua haud faci-
le alia infiſtior clafſi eſſe potest, ita afflixtabat, ut præfectus
vbi nulla facultas administrandi aut adiuandi daretur, cum
vexata & lacera clafſe, dimiſſis funibus & anchoris, continē-

tem

tem petere sit coactus:quam ob ré,magnam quod necesse erat accidere,totius exercitus sui perturbationē.Tyrannus sen sit.Vnus posteaquam Achimetus ei promiserat quod ima mūrorum dolabris,vestibusq; ferreis euerteret,tanti mali patiēs,vocatosq; ante prætorium suum milites , quorum lubricæ ac rigentes manus vix arma tenere poterant , in hunc modum alloquutus est.Quanta pro dignitate atq; decore imperii mei feratis magnanimi milites,haud ignoro.Continuus cœli frangor,immenſa imbrium vis , sonorum cœlum,algor , fames,litis,cæteraque longæ istius obsidionis mala,vt arma vos depolare,quietemq; necessariā sumere finam,multum me horitantur.Sed videamus primum ne an turpe sit viris fortibus victoriā quæ in manu est,hosti,tædio imbrium & tempestatis relinquere,vallum,fosslam,aggeres non in vrbem modo sed in cœlum etiam spectantes,munitiones,turres,& talium oppugnandarum vrbium apparatus deferere.Certe aut nō scipi bellum oportuit,aut geri pro dignitate imperii Turcici oportet.Qod si æstate factum non est,hyeme vt faciamus cogit me publicū imperii decus,tum vestrum quenq; priuata sua utilitas.Si enim hinc reducimus exercitum , quis est qui dubitet hostes non cupiditate solum vlciscendi,sed etiam necessitate imposita ex alieno prædandi,cum sua amiserint,agros vestros,domos,fortunas vestras inuasuros? vos,cōiuges,liberos,necessariosq; in multo fœdiorem quam nunc est seruitutē redacturos.Vrgete igitur obſeffos:nec ante abscedatis suadeo,quā spei vestræ finem ceperitis.Si hercle nulla necessitas subeffet,tamen ipsa dignitas famaq; corporū & animorum vestrorum perseverantiam imponere debet:nam ora,oculi omnium gentium,omnium Christianorū in istud bellū,in vos conuersa sunt:quos si hyemem vnam durare in castris non posse intellexerint,merito estiuas aues appellabunt,qui statim nubilo cœlo,tecta ac recessum circūspicitis.Gr̄cos ob vnam pellicem,Troiam decem annos oppugnasse dicēt, sed Turcas cædibus,rapinis,excursionibus terra & mari factis,seruitute præterea ducentorū & quatuordecim annorum vexatos oppressosq;,vnā hybernam obsidionem perferre non posse,terrorē nominis vestri hactenus vanū fuisse , famā illū (vt pleraq; alia quæ nō visa magis timetur) auxisse apud homines ignaros in regionibus exteris iam tuto sustinere quæque vos posse,qui impetu potius bella geritis quā perseverantia quæ

tia quæ in omni genere militiæ, maxime autem in obsidēdis
vrbibus necessaria est: quarum pleraq; munitionibus ac natu-
rali situ inexpugnabiles, fame sitiq; tempus ipsum vincit, atq;
expugnat, sicut Rhodum expugnabit, in quā occultum telū
paratum est charissimi commilitones. Verum cunctis presen-
tibus res se tractari non patitur, tam nescire enim quædam
multitudinem, quā scire oportet, pleriq; id callide magis quā
vere dictū existimabant: & quanquā ingentia præmia & pla-
cida ducis oratio, mœstos & defatigatos militū animos parū
reficerent, vicit tamen in gente obsequentissima Imperatoris
amor, & magni secreti auida expectatio. Achimetus teli illi-
us autor sponsorq; uictoriæ, ad murorum fundamenta septa
haud alto pro muro, post quē custodes nostri excubabāt, cre-
bro (licet haud satis tuto loco) militem suum submittebat:
qui cū (nescio quo infelici fato nostro) pro murū illum occu-
passet, factus uoti compos auxiliares inuocabat: hi intra locū
se munierunt, donec dux murum musculis, testudine, pluteis
in eum casum paratis subiret: quod quidem facillimum illi fa-
ctu fuit, per fossas iam complanatas, multa terra iniecta, cuius
eminens supra modum altitudo usum tormentorum è cauis
propugnaculi Auerni latus hostium tentantiū impediēbat:
neq; Rhodii è fastigio murorum immanibus bombardis illis
dirutorum, cum nusquam in illis esset consistendi locus pro-
pter Chiriboarderios intra aggeres suos tormentis paratis la-
titantes, quidquā deuoluere in subeuntes poterāt. Itaq; homi-
nes defunctos ut videbatur omnibus periculis & in umbra
quodāmodo quiete pacis existētes, recens atq; inopinatū ma-
lū mire perturbabat: conspectus primum pauorem silentium
que torpens iniecit: admiratio deinde ac commiseratio suiq;
aperta querimonia subiit: Preianus ad omnia impiger & au-
dax, perforates igne, oleo, pice ardēti, reliquaq; materia incé-
diaria summuuebat. Sed cum fugientibus ignem, fustuarium
morsq; parata essent, & pro sauciis semper reponerētur inte-
gri, fatale opus. Septimo die Octobris inceptū magno cona-
tu miserrimorū seruorū procedebat. Serui enim sunt Turcæ
omnes, etiā consilio, autoritate, armis prestantissimi, solus v-
nusq; Tyrānus in tā immenso imperio cuncta sibi possidet,
cæteros omnes quēq; pro dignitate & merito stipendiis alēs:
hi quo pleno discriminis opere ocios se liberarent, excauatū
circa fundamenta murum stipitibus fulciebant: quos adiectis
malleolis

malleolis ignibusq; torrendo muri ruinā parabant. Verū cū res ex sententia non procederet, eundem cathenis ferreis, funibusq; anchorariis mirabili machinamēto distrahere in terram conabantur. Sed tormenta per Auernū propugnaculum disposita, exiguo tempore insani & multorum dierum operis molem deiecerunt. Dux Achimetus postquā omnē conatum suum ludibrio esse vidit, atq; obuiā sibi veniri ab oppidanis intellexerat, anxius trahere cū animo suo, omittaret ne incēptū, quoniā frustra videbatur, an fortuna opperiretur quæ sola promissiones suas Tyranno factas implere & morte eū liberare poterat. Interea vt iussum fuit à Gabriele Martiningo trachones fieri intra murū crassissimū vt educ̄ta inde armata iuuentus operarios trucidaret, & minitorū tormētorū vtroq; latere positorū conglobatis iētibus muri faciem, ad quā hosti aditus erat, tueretur. Sed Martinungi mandatum specie satis tutum, euentum nobis & sibi infelix fuit: nā ocu-lo iētu chiriboardæ inter opus ordinandum priuatus est, vt plārique alii strenui equites: inter quos haud immerito retulerim. F. Ioannē Omendem equitē Aragonensem cui cura vestitus militaris distribuendi incumbit. Disposuerunt barbari multitudinē horum tormentorū per rimas partis muri quæ inter se & nos media adhuc restabat, quem, cum ignari essent quantum hæ chiriboardæ nobis nocerent, suspenso opere trebrandi, denuo bombardis maiori mole acriter feriebant: quarū vis iam solito erat efficacior erga murum tot nō disabilitatū, qui vbi indies magis magisque tormentorū continua violentia labaret, oppidani ad omnia tuenda obeundaque multimoda arte distineri cœpti sunt: non nocte, non die cessauerunt ab opere, vt nouū murū ab ea parte qua patefactū oppidū ruinis erat, reficerent, hostibus & defensoribus par labor, similis animus, quē illinc spes, hinc desperatio fecerat. Cretenses quorū operā atq; industriā scriptores in bello nauali commendant, etiā huic terrestri vtiles fuere & locū difficillimæ custodiæ cū supplemento sacrorū equitum adeo egregie fideliterq; obseruarunt, vt non sint veriti catastrophilacam ciuē Rhodiū, opibus, & cognatorū atque affiniū celebri multitudine potentē, cuiusque in extruendis operibus, disponendis munitionibus summa toto bello fuerat diligentia, quiq; ipsos sepissime pauit cibo ac potu largissime administra-to, in vincula publicitus cōiicere, qd' tēpore & loco suspecto,

contra Magistri edictum per singulas stationes voce præconiis diuulgatum, sagittam in hostes eieceret. Quem ubi variis & multis questionibus affecisset, nihil potui expectorare: ad iutus etiam opera prudentissimi & nobilissimi Hispani equitis. F. Ludouici Luel, cui cum quatuor tribunis militum, iuris dicendi ac distribuendæ annonæ cura erat, quam quod inter amicas & fortuitas cum plærisq; ciubus confabulationes, hostis iram, si auxilia transmarina non venirent, aliqua tributi specie vel manumissione seruorum leniendam dixisset: hanc grandi cum difficultate expressam à reo confessionem, ubi nocte ad magnum Magistrum retulisset, strato cui indumento militari septus incumbebat, se attollens ac gemens ad vigilias perrexit, iussitq; nullo alio addito verbo ut reus seruaretur. Per hoc temporis Tyrannus foris comitia celebrare, cum ducibus de summa rerum frequenter consilia inire: omnium vñanimis sententia erat, urbem eo die capi posse. Cæterum ut in multitudine semper aliis aliud placet, quidā sentiebant (sic enim mihi obsidi hostes ipsi retulerunt) Rhodiorū animos prius colloquio tentandos, si forsan pacati quidpiam responderent: ad hunc modum victoram minori sanguine Imperatori futuram, & orbis totius imperium anhelanti utilem esse clementiæ famam, quam summis ducibus ad opes propagandas miro usui esse Cassius & Achimetus affirmabant: his magna animorum contentione desertorum fidei magister contra stebat, qui sæuitia ingenti & cupiditate preda ad excidiū ciuitatis trahebatur. Tyrannus placitorū Mahumetis studiosissimus, ingenio infido, & supra naturam hominum feræ cuiuscq; trucissimæ crudeli, quam tamen crudelitatem altitudine ingenii ubi expedit mire disimulat: in sententiam sequiorem magna totius corporis & animi alacritate accessit: & per omnia castra urbis direptionem militibus contendens, eos in hanc sententiam alloquitus est. Tandem magnanimi viri fortuna virtutem atq; constantiam vestram egregie experta, digna laboribus modo premia afferat. Victoria & opes hostium quæ tam diu cupiuistis in manibus vestris sunt, nunc tempus Græcolatinos istos qui plures pene perierunt, quam supersint: non homines, sed effigies & umbras hominum, fame, vulnere, squalore, laboribus debiles impotentesq; trucidandi: qui scio vobis resistent, non quia audent, sed quia necessitas perituros cogit. Sumite perfidiæ, crudelitatis & sceleris

leris pœnas nunc à cruciferis , & documentum modo graue posteritati exhibete:ne quis vnquam Turcam vlla in fortuna opportunum iniuriæ ducat:strata in vrbem via est, patet oppidū immanni ruina, quæ commode alā triginta equitum amplecti potest:ab hac exhortatione Imperatoris milites incitati,cum per aliquot dies inter stragem ac ruinas captæ vrbis nihil superesse præter armatos hostes viderent , nec quicquā tot cladibus territos nec flexuros ad deditioñem animos , ni vis adhiberetur:experiri vltima & impetum se facturos in vrbem Tyranno promiserunt. Vtq; omnia eis opportuna magis ad vincendum forent, oppidanis palam ob fæuam necē & miserrimam seruitutem pridie diei quam pugnam inirent, minabantur: & lapides crebris tormentis excutiebant , quæ per hiatum disiecti muri in vrbem volantes , multas vno die domos prosternebant: interiorem autem recenter oppositū murum propter suam declivitatem raro attigerunt : quæ res magnæ nobis saluti fuit , fragor ruentium tectorum , sonitus hostium, tonitru fulgorq; bombardarum , magnam miserri- mæ plebi perturbationem iniecit:ploratus mulierum, puerorumq; vndiq; audiebatnr, omnia triste spectaculum erat, dira & feralis vbiq; rerum facies:diem tam fœde exactam turbulentior omnino nox exceptit,noctem lux turbulentissima inseuta est . Albescente enim cœlo fulgentia legionum signa in patentibus campis conspiciebantur. Barbari spe prædæ & victoriæ alacres,cum immenso strepitu armorum cantu vlu- latuq; patrio,ad diruta atq; disiecta mœnia properabant,ma- ximam vexillorum multitudinem cinctam festa fronde ante portam Ambosianam statuentes,quam Angelus eques mul- tis fortibus factis atq; prudentia animi insignis,præfectus mo- do aquilarius & augustalis Thomas chienſel custodiebat nec segniter nec imprudenter, nā tria magnæ molis hostilia tor- menta contrariis suis tormentis perfregit:quo suo facto & o- pera Christophori Valderic, cuius supra feci mentionem, ci- uitatis hac parte non admodum firma ab excursionibus & vi- vndecim immanium tormentorum liberata est. Regia classis portum locaq; maritima circumnauigans, inuasionem simu- lauit:dixisses vrbem terra & mari inuadendam , expiratura Republica, casurū omnibus imperiū merito videbatur : ni- hil tamen tot onerati atq; obruti malis flexerunt animos, sed tantū arma ferrumq; in dextris velut solas reliquias spei suæ

intuentes, ab alienatis à memoria periculi sensibus ad sonitū
 æris campani effusi vndique ex domibus, antris ac latebris,
 quas plærius contra imbre ignium & immanum saxonum
 sibi parauerant, densato agmine in rabiem versi ad pugnam
 cucurrerunt: pro nudata mœnibus patria corpora sua oppo-
 situri: nihil ducum exhortationibus nil imperio opus erat,
 sua quenque conscientia recordatione malorum hosti illatorum
 ad defendendam impigre urbem hortabatur, & proponebat
 alius alteri hostile iugum, ludibria & victoris superbos
 vultus, ultima omnibus supplicia & fœda mors ob oculos e-
 rant, pugnabant inter ruinas collapsi disiectique muri velut
 campo patente equites & ciues Rhodii: fœminæ viros suos
 ad cœlum manibus tensis poscentes à Deo numine tutelari
 victoriam, vt pro patria, pro libertate, pro domesticis opibus,
 pro religione christiana fortiter pugnarent hortabātur, mor-
 tem clamabant timendam non esse quæ nouam beatissimis
 animis vitam afferret, mulier quædam corpore quæstum fa-
 cere solens, hoc die S. Andreæ profecto, vt commissum sæ-
 piissime scelus morte expiatet, multos barbaros acuta cuspi-
 de transfodit, quædam afflictæ matronæ in domibus suis pa-
 triæ occasum cum suo exitio expectabant: multæ mœstissi-
 mæ matres cum cœtu virginum in templis ante aras, ante i-
 magines sanctorum prostratae, funesto comploratu atque vlu-
 latu fœmineo inter se diffonæ, votis ac lachrymis delubra im-
 plebant, dubiis rebus diuinam opem implorabant, & vt opti-
 mi cœlites nefandam vim à pudicis corporibus auerterent.
 F. Clemens metropolita cuius ante prælium in re diuina pla-
 candisque superis, in prælio cohortandis excitandisque &
 consilio & exemplo virtutis militibus opera singularis ac di-
 uina extitit, homines Græcos manu sacrosanctam crucem ge-
 stans sancta spe & fortitudine bellandi implebat. Si more vi-
 rorum pugnarent cuncti inquit multos victores superuicturos
 contra si ignauit remissiōnē in acie sibi parcerent, inuasa mox
 vrbe omnes ante ora captarū coniugum liberorumq; : inter
 verbera & vincula, omnia fœda atq; indigna passuros. Anti-
 stites sacræ militiae & phani diui Ioannis Collofensis equites ho-
 minesq; Latinos exhortabatur, ne vllū ante finē pugnæ quā
 morientes ficerent. F. Ludouicus Tétauillus iuuenis cōgestis
 omnibus à natura fortunaq; bonis splendens, nobilis, diues,
 forma viribusq; corporis excellēs, facūdia pollens bello quo-
 que bo-

que bonus propius cum Liladamo magno Magistro & per-
necessario suo vexillum Christi crucifixi quod ferebat in ho-
stes intulit: pugnatum est circa illud utrumque summa vi & va-
rio marte: Barbari cœpisse iam se urbem si paululum admittā-
tur credebant. Itaque quo plus terroris adderent cuncta clamor-
ibus permiscebant. Rhodii vero eos pro victis habebat quia
non vicissent ipsi numero & robore corporum maiores, sunt
enim Turcæ fere omnes procero altoque corpore, capitibus tō-
sis, & raso plerique vultu, excepto superiore labro quod omni-
bus (cum tondere inter eos aut nephias aut dedecus sit) pilis
contortis atque reflexis utrumque ad ambas aures hirtum horri-
dūque est: præterea loco ad pugnam & victoriam aptissimo.
Accendebantur ergo animi & certamine laboris & periculi,
atque ipso inter se conspectu, ita ferox natio bello orbem per-
uagata, si tamen Turcæ bella & non potius latrocinia agant,
occasione semper, raro vera virtute adiuti, ab unius oppidi
defensoribus longa obsidione prope enectis fœde reiecta est:
oppidani pedem & terga vertente barbarū clamore incessante-
bant, Turcæ genus hominum in iram & cæcam rabiē præ-
ceps, indignati quod victores plurimi à paucis & victis si in-
cœpto prælio perseverantia adesset, irriderentur: versis in frō-
tem cuneis Rhodios aliquanto atrocius quam antea adorti
sunt: cecidissent haud dubium omnes eo die & prælio cum
patria, nisi commodum custodes qui summa extremaque mu-
rorum adhuc stantium tuebantur, è tabulatis atque ibi erectis
operibus nubem sagittarum & machinaliū globorum in dor-
sa per ruinas urbem incurrentium eiecissent: & quod maxi-
mum atque omnium utilissimum fuit tormenta dextra leuaque
parte muri recenter in speciem quadratam extructi barbaro-
rum latera fœde confringebant, magna strages ædita, atrox
spectaculum, gemitus & vulnus non clamor amplius mori-
entiū erat, & plures omnino mortui fuissent nisi imber che-
riboaderiis obstitisset, nam illorū puluis pluua madefactus
haud facile incendi potuit. Achimetus astutus vir & tenuis
bonique sensus, quāuis obeso & propenso sesquipedie ventre,
veritus ne suorum cæde nobis cresceret nimius animus, gna-
rus præterea maximarum rerum cardinem momento tépo-
ris in bello verti, & quod hostis contemptus sæpe cruentum
certamen daret, ingētesque exercitus infelici hora, parua ma-
nu deleri posse, milites in castra reduxit: compertum ibi (Si
modo

modo vera narrant) cecidisse eo die præter ingentem saucia-
torum turbam quinqup milia fortissimorum virorum . Duces
omnes territi tanta suorum cæde, quanquā nemo ex eis victo-
riam desperaret : vnanimi sententia statuerunt urbem haud
amplius iusto congressu tentandam. Verum inductis per me-
dias ruinas in eam quinqup fossis atque incilibus, murum illū qui
oppositus erat & alterum opponendum pone quæ adhuc val-
lum ligneum obiecimus dolabris terebrisque subrui debere,
obfessos interea in dies inque singulas horas leuibus, & tu-
multuariis pugnis laceffendos, vnicum istud consilium ma-
gis quam omnia alia prælia hostibus profuit: qui dum indies
noua quæ pro dirutis opponebantur, opera ferro igneque vio-
larent, & oppidani præmio quadraginta miliū ducatorū quæ
summa in sanctiore ærario ad ultimos casus testamento Am-
busoni relicta & seruata fuerat remunerati, tuendo diruendo
domos, fossas transuersas viis perducendo, minorē indies vr-
bem facerent, breui in tantam extremitatem sunt adducti ut
qua primū aut potissimum parte ferrent opem , cū omnia
longe lateque hostium essent, satis scire non poterant: nam alti-
tudo areæ intra urbem ab hostibus occupatæ passuum erat
fere ducentorum, longitudo centum & quinquaginta. Tyrá-
nus interea quanquam certus vincendi, animum ad consilia
Achimetri & Cassii applicat, qui nuper frequeti ordine pro-
cerum dixerant volentibus imperii fines propagare vtile es-
se clementię famam, & Pyrrho mandauit vt obfessorum ani-
mos colloquio tentaret, ille quendam Hieronymum Moni-
liam Ligurē ad mœnia misit, qui fideim & tutelā corporis à
defensoribus impetrans, pauca quædam & vtilia desolate vr-
bi velle se exponere aiebat: omnium animi arresti erat, iussus
est dicere, negat sibi palam id licere, sed secreto cū Mattheo
de via ligure habitatore Rhodi aut per epistolam loqui vel-
le. F. Fornouius eques Auernus qui forte adstabat, cuius tota
obsidione virtus atque vigilantia singularissima extitit, ferunt
enim hunc solum è turri diuo Georgio sacra quæ in mœnia
& ruinam murorum spectabat , ultra quingentos Turcas vi-
tmentorū neci tradidisse, indignatus mentione secreti col-
loquii, nuntium bombardis abegit. Multi quorū animi in spe
ultima obstinati ad certandum fuerant, posteaquā victor ob-
sidens colloquium tentauit, & spes vitæ adfulsit, magnū ma-
gistrum rogare ut genti suæ optimæ meritæ prouideat , tot

preliis

præliis sese viatos, vrbem dirutam, multos mortales ægros occisosq; rem bellicam comminutam esse, satis sæpe iam & virutem militum & fortunam tentatam, caueat ne se cunctante hostis maiorem indignationem concipiatur, si videat postulata sua sperni. His atq; aliis talibus ad legationē magistri animū impellunt, mittuntur ad Tyrannum legati, F. Antonius Groleus eques Auernus, ingenio & Græci sermonis cognitione commendatus, qui toto bello signifer sacri Militarisq; vexilli fuerat, Robertus perusius homo ætate grauis & Græca facūdia pollens: accepti pro his obsides, cognatus vnuis ducis Achimeti, Epirota quidam qui per patentem ruinam murorū à nobis ad hostes transfugerat, quod quidam Græcæ gentis prefectus faciem illi depalmasset, homo cuius acre ingenium & lingua Græcæ, Turcaicæ ac Italicæ usus apud nos in obscuro, magno nostro damno inter hostes illuxit: accessit deinde Tyranni ipsius interpres, neque enim ille peregrinam aliquā linguam nouit. Quem admodum apud nos Imperator Germanus Gallicam aut Hispanam, ratus id cōtra decorem esse sermonis patrii, & Othomanicam maiestatem: oratores ergo nostri prætentatis & excussis prius diligēter vestibus, si quod ferrum absconditum esset, Tyrannum rogan quam ob causam colloquium expostulasset: ille similis nescienti cū ira & indignatione factum negabat, & castris quamprimum excedere iussis, hanc epistolam ad magnum Magistrum & oppida nos dedit, Nisi misertum me foret humanae infirmitatis, quæ multorū ambitiosas mentes plerung; in maxima & minime necessaria mala præcipitat, profecto hasce literas direxissem minime: sed morte qua digni estis, & miserrima seruitute vos afficerem, quod quā mihi sit facile, ipsi cognoscitis, egregie iā experti vim meā, si sapitis experiamini gratiā, satis indulsistis furori, satis dementiæ vestræ, redite ad cor, facite ocyus quā impero deditonem, do uitam, do opes, præterea optionē manendi & abeundi, nolite si quod omnibus votis petendum erat, vltro offeratur, fastidire: non quemadmodū hodie vtrūq; vobis licet, sic semper licitum est. Reditu oratorum in vrbē magnus concursus hominū omnis generis eōs sequentiū factus est ad domū qua magnus Magister se tenebat, haud procul à muro vrbis diruto, summota cætera multitudine ciues primores inducti sunt, recitatum cū esset frequenti ordine equitū & ciuium Rhodiensiū minax imperiosi Tyranni mandatum,

datum, Magnus Magister cui satis honorum, satis superq; vi-
tæ erat honestæ mori, sic exorsus est. Audiuitis sacri cōmili-
tones vosq; magnanimi mei Rhodii feralem & tristem epi-
stolā: cui quomodo sit respondendum, haud anceps delibera-
tio est. Vel parendū fortioribus, vel moriendū, victoriæ om-
nis spes decollauit nisi adueniant foris auxilia, si meū igitur
approbatis consilium, fidē, nobilitatem à maioribus nostris
acceptam, bellicam laudem domi militiæq; partam per tot an-
nos, fortiter ferro ac dextra ad extremum vſq; spiritū & san-
guinem tuebimur, ne prius sit viris fortibus gloriæ quam vi-
tæ finis: huiusmodi ducis oratio amarior multis visa est: quā
Tyranni imperium, diu mœstum silentium aliorum alias in-
tuentium fuit: multi occulta oris in uitatione motuq; corporis
magis quam voce quid ipsi sentirent, exprimebant: tandem
sacerdos quidam Græcus cum summa animi commiseratio-
ne & lachrymis, in hæc verba prorupit, Taceré ego quoq; si
priuatus essem, aut in vario turbulentōq; tumultu nō primus
meam sententiam dicerem, verum quando cura communis
salutis vocem nemini exprimere potest, & omnes sciunt dicē
di ac suadendi quod quisq; velit aut optimum putet occasio-
nem modo esse, quæ nec semper nec diu erit, eam præterlabi
non sinam: fingamus igitur potentissimi principis obſidentis
nullum nobis mandatum factum, sed veluti priuatus cū pri-
uato, amiculus cum amiculo, ante focum & inter compotatio-
nes, sine cura, sine studio immodico alterius partis, sine libidi-
ne aut odio de rebus principum nihil ad se pertinentibus fo-
let, nos differere. Et tum neq; ingrata neq; vt spero infructuo-
sa erit oratio mea. Sex iam menses Græci & Latini vnanimis
armis non solum foris ante muros sed in visceribus vrbis in-
festum hostem sustinuimus, sine vlo auxilio, sine vlla exter-
na ope, quā vt diu omnes fruſtra sperauimus ita singuli nūc
certo desperamus, hostis autem vel occulta Dei benignitate
motus, vel virium & animorum nostrorum ignarus, quæ vul-
neribus, cæde, morbo, dies ac noctes continuato opere perie-
runt: id vltro offert quod optandum nobis ac summa ope pe-
tendum erat: aurum argentumque omne publicum & priua-
tum, corpora vestræ, fœminarum, puerorum, seruat in uiolata
vrbem, tantum quam ex magna parte dirutam captamque fe-
re totam habet, adimit: magne Magister, nobilissimi equites,
cum aliis multis naualibus præliis tum hoc terrestri præcipue
oppu-

oppugnatione fortitudinem vestram sum expertus, cuius cum
in re desperata amplius nullius sit usus, prudentiam vestram &
clementiam appello, cum iam omnia uictoris sint, quod vitam
opes relinquet, in lucro est non in damno vrbis insulæque de-
ditio quam victor hostis imperat: Quæ licet grauis acerbaque
nobilitati videatur, fortuna vestra uobis suadet. Deditonem
ergo faciendam censeo, potius quam trucidari, corpora ve-
stra rapi, trahique ante ora vestra nos, coniuges, liberos belli
iure sinatis. si villa misericordia flecti potestis, Si qua christiana
pietas in militaribus animis est, ne ad ultimum perditum eatis
rogo. innocentem hunc populum, & ut modestissime dicam non
male de vobis meritum, quem Christus Iesus, quem hostis infe-
stus seruare vult, pietatis causa nec ullius alterius loqui quæ lo-
quor apud vos vel ea fides sit, quod neque dum vestris viri-
bus restitistis, neque dum auxilia à principibus sperastis, dedi-
tionis unquam apud vos mentionem feci. Posteaquam au-
tem cernam omnia fatis in peius ruere, communes fortunas
nostras in extremo sitas, hostem infestum, spem auxilii nul-
lam, pecunia rerum necessiarium bellum non posse trahi. De-
ditionem suadeo, pacem quam bellum malo, & gratiam poti-
us quam vim experiri. Cum hic perorasset, nemini certare cum eo o-
ratione necesse fuit: Adeo prope omnis ciuium audientium coe-
tus sacerdotis erat, aliqui tamen conscientia iniuriarum quas
Turcae intulerant, & quia nec deditio tutâ ad tam infestos ho-
stes videbatur, nec spes inueniendæ salutis erat
se ac ceteros periculis obiectare & more virorum cruentam
luctuosamque victoriam hosti relinquere cogitabant. E quorum
numero quidam quem & iuuentus & extrema (ut credebat)
hora non solum liberum ac loquacem, sed etiam inermem in-
ter armatos proceres & seniores viros ciuitatis coramque ipso
Magno magistro audacem faciebat, sic eloquutus est. Nihil un-
quam minus consueui quam quod ipse sentirem coram princi-
pibus viris aut in magna hominum frequentia dicere, adeo ma-
lini semper aliena verecunde audire quam impudenter inge-
rere mea. Sed nunc cum extrema dicendi necessitas insti-
tutum vitæ tenorem obseruare nec ulterius non patiatur, Quid
nobis diro nuntio & graui imperio perfidissimi tyranni com-
mota faciendum sentiam, liberrime loquar. Deiecit imma-
nissimus hostis murum: & ciuitatem nostram trecentos &

H amplius

B E L L I R H O D I I

amplius pedes ingressus est. Molestissimus hospes sub eisdem te-
ctis nobiscum viuit, ac versatur. Qui durum aduenam & gra-
uem vicinum perferre amplius nolunt: turbatori tota possessione
cedendum suadent. Mihi longe alia mens est Sacri equites, nec
enim tam leuiter fundum ducentos & quatuordecim annos cul-
tum relinqui, verendum sentio: sed molesto inquietatori aliam
molestiam inferendam, & cum prædatore continuo prælian-
dum, quem vbi armis animisque nostris inuitum & repugnan-
tem quinque menses exclusum tenuissemus, irruptit tandem in
ciuitatem nostram, nulla sua virtute fretus, sed tempore quod
omnia domat hodiéque agitur ab introitu suo dies fere qua-
dragesimus, nec dum iter longum centum & sexaginta integris
pasibus quamquam mire festinans confidere potuit, tardatus im-
pedimentis quæ illi obiecimus, & obiectare non cessabimus, si
viri sumus, si s' i, si pristinæ virtutis memores, me prius per-
dant cœlites quam isto gemino obtuitu cernam sacros equites
tradere claram Rhodum, antiquam propugnatricem Christi-
tanæ religionis, immanissimis hostibus, contaminatis omni in-
famia Mahumetis: Qui præter anhelam sitim nostri sanguini-
nis, quam sint infido malignoque ingenio, si nescimus, satis
nobis exemplorum præbent, ne queramus quo modo aliis ex-
emplo simus, Constantinopolitana calamitas, posterior Eubœ^e
clades, recentior Metonensis: tum Mamaluchorum Cretensi-
um contra fœdus contra acceptam & datam ab ipso Impera-
tore fidem, miserabilis trucidatio. Quid, nonne in mentem
venit summorum ducum qui Belgrado imperabant, dolo, frau-
deque hostium procurata mors? Eamus nunc sani homines,
& fidem adhibeamus insanissimis beluis, permittamus corpo-
rum nostrorum potestatem, quibus non lex, non ratio, nihil
sancti, nihil pensi est, quorum nescias maior sit auaritia an cru-
drudelitas, qui nihil aliud multos iam annos meditantur, agunt,
quam quomodo dolo, vi, nomen Rhodianum ipsis tantopere
inuisum pœnitus deleant. Sextum iam mensem circumualla-
tos inclusosq; nos tenent, nobiscum ultima pericula, graui-
simos labores perpetrati, ante propugnacula & muros saepe tru-
cidati: Postremo iniuria fulgurum, hymbrium, tempesta-
tis, hyeme, (quæ omnium bellorum terra ac mari quies est)
hinc auerti non potuerunt, tanta auditas supplicii expetendi, tan-
ta sanguinis nostri hauriendi est sicut, nec omnino iniuria nos
quoque illorum cruore fudimus, & adhuc funderemus libenter

si per

si per fortunam liceret: verum quando deo immortali aliter vi-
sum est & ultimam necessitatem effugere non possumus: cru-
ciatus & contumelias quæ hostis sperat dum liberi dum poten-
tes nostri sumus, honesta velim morte inter arma, inter vexilla
.S. Crucis euadamus. Hoc pacto æterna gloria quæ pro republi-
ca cadentibus inter superos & mortales parata est, perpetuo per
fruemur. Quam virtuti & nomini tuo nobilissimo Magne Ma-
gister inuidere eos non conuenit, qui multorum annorum pacis
commode, atque fructu usi, tum liberalitate etiam sacrofancti mi-
litaris ordinis, extremum nunc belli onus ferre recusant. Quæ
verba excipiens quidam Græca nobilitate atque prudentia in-
signis vir, magno silentio gentis suæ, etiam multorum latino-
rum assensu hunc in modum sententiam deditiois perorauit.
Quod dolor & desperatio facundos homines facere possint,
magis quam prudentes, cum saepe alias, tum hoc die cognosce-
re potuistis Sacri equites: Nunquam enim prudens à modestia
labitur ad maledicentiam: non commiscet vera falsis: non cupid
cædem ciuium: non suadet furorem: non hortatur ad dementi-
am. Sed ita profecto multis ingenitum est, cum ipsis nec pruden-
tia nec consilio malis suis explicare se possint, cæteros in ean-
dem perniciem protrahere: Adeo semper noxiæ & audiæ fue-
runt societatis calamitas & malitia: verum si tu Magne magister
mihi quoque dicendi potestatem facias (homini inter suos neque
potentia neque autoritate ultimo) quod cum præsens calamitas
tum ipsa etiam necessitas impetrare abs te debet, differam quæ a-
cuti istius oratoris plura atque magnifica verba, & rei augendæ
causa conquisita, non solù refellant, sed etiam mentem tuā ad id
quod vtile, honestum, ac necessariū est, motis inde odio, mœtu,
turbatione, defidētia erigere possint. N. noster quem non solum
vehementē oratorem esse, sed interdum etiā trucem scimus om-
nes: Qum tamen ingenio sit mitis, atque adeo mitis ut nemini
ex his quos appellat barbaros infanos, immanissimos, quo-
rum detestatur perfidiam, accusat crudelitatem, quos sine lege,
sine penso, sine ratione viuere exclamat, nedum occidere, sed ne
modice quidem vulnerare voluerit. Et nunc tempore inducia-
rum, dum sagittarum imber, pluuiia globorum cestat ferreorum,
ignis lapidum, prodiens de cauea sua, miros excitat tumultus,
omnia commiscet tragœdiis: Et quanto in discriminè versetur
ignarus, mortem quam haec tenus factis se horrere manifesta-
uit, nunc dictis inuocat, ne ludibria & contumelias ho-

stium, inquit, ferre cogatur, superbia hæc est non fortitudo aut Christiana humilitas. Verùm ista nec minatur neq; parat hostis, nequaquam tam perfidus aut crudelis quam ipse videri vult, refricatis cedibus Cayri, Euboæ, Metonis, Constatinopolis, vrbium vel vi vel ingenio militari expugnatarum, non ob sidentis & obseSSI conuentione permissarum in fidem victoris. Qui quia pepercisse vobis vult, committere cur pereatis non patitur. Sed vnde hæc noua clementia? inusitata erga populum Rhodium pietas! Ego rerum arcanarum tyranni non sum cōscius, nec vnquam alieni beneficii rationem inquisui, cūm opus est accipere gaudeo. Verùm quid ipse in re dubia sentiam, minimè diffitebor. Vult (existimo) Rhodiensi oppugnatione & victoria cæteris gentibus quibus imminet, vim suam ostendere & gratiam, ne semper sœuiendo aut solitudiné ea facere quibus imperaturus aduenit, aut animis mortaliū perpetuo a se alienis, cum omnibus ferro & flamma certare cogatur. Quibus malis non tam hostium quam suorum iacturam fecit. Hanc ob causam (vt reor) vitâ nobis, & opes relinquit, nedū ipse eas vi auferre, & nos insano bello retinere velimus, ambo in maximam suam pernitié, victori prope tam luctuosam quam victo. Prætereà si omnes hic trucidat, licebit tunc quidē nemine viuo hic resistente, per cæsorum cadavera Rhodium ruinis patentem, ingredi. Sed clausa est lerus, serata petrea, munita Arangia, lindus situ inexpugnabilis, hic tela, hic enses, arma. Viros esse credit, & nouus belli iterū apparet desudandus labor, nisi malit vestram militiā fatalem imperii sui pestem, in suos grassari. Quæ loca sine cæde, sanguine (vt par est) habebit si te Magne magister, si vos equites, & nos miseros incolumes hinc cum leui supellectili demittat. Hæc humana consilia nisi illū ad gratiam & miserationem nostri commouerunt, tū dubio procul numine agitur, & occulta erga nos dei ac domini nostri Christi Iesu crucifixi pia clemētia. Cui vos si fani estis, si viri religiosi, si virtutis hominum verè Christianorum memores, obicem opponere non conuenit, & vestra ruina hanc miserabilem plebem extinguere. Quæ semestri obsidione ista vix quod satis ad naturale desiderium corporum esset, quieti dare potuit: pro vobis in acie stans, pro vestra gloria victoriaque vulnera & mortem ferēs. Cuius fidelis opera & diligentia domi forisq; adiuti estis. Siue turca inuaderetis terra Metilene, Naupacto, Metone, patris, to

taq; Peloponeso, siue eundē turbaretis possessione maris Iōnii & Aegei, qua ex re vel cœco appareat, q; sit iniuriū & veritate alienū, obiūcere nobis quod pacis fructus metientes, belli onera recusamus, immo bellū nūquā recusauimus. Nunc aut & si maxime gerere velimus, nō possumus. Robore iuuētutis occisa paucis reliquis quæ supersunt non tantū corpore, vulneribus, morbo, vigiliis, labore irrequieto, sed etiā animo fractis, dum hosti secunda, aduersa nobis omnia sunt. Tum maxima eademq; optima parte ænearum machinarū continuo vſu rupta, cuius si hodie integra extaret, nullus vſus, nulla vtilitas esse potest: in opia tormentarii pulueris, qua non modo laborat hæc ciuitas, sed etiam Lerus, Lyndus, Halicarnassus, Arangia. Nunquā fui secretorum cuiuspiam aut cupidus aut diligens explorator, multo minus militiæ vestræ, amen. hæc ita esse dissimulare non potes magne Magister, qui illinc palam militem secreto machinalē puluerem importare hic fecisti: qua tua prudentia, sex menses externum sustinuisti hostem, & vnius atque alterius domestici proditoris fecellisti in pietatē. Sed si no libenter hæc omnia, desero veritatē, relinquo multitūdinem, venio & loquor ad paucorum gratiam, & fingo armorum & animorum nobis esse satis. Sed hoc rogo his ne ad custodiā, an perditionem vtendum suadeant. Ad vtrāque, fieri nequit: non magis quam seruum esse & liberum. Ad perditionem. Dementia hæc est, & vecors superbia exosa Deo atque hominibus. Ad custodiā ergo. Sed quomodo custodiemus urbem (non dico quod res est) iam amissam atq; ab hoste occupatam, in qua ille regnum possidet, diruit, mutat, versat ima sursum & sup̄ēma deorsum. Sed mōenibus nudā, immāni ruina ad stationē Hispanā patentem? qualis muro Italico non impendet modo sed adest iam atque infertur. Quo pacto seruabimus infōelix istud oppidum ad stationes Narbonensem, Britannicam, Auernā, & turrim D. Nicolai, lacerum. Quod & si tam lacerum, si tam egenum omni rerū bellicarū non esset, Sed integrum, & armis & cōmeatu instruētissimū, cogente sic necessitate, suadente prudentia, relinquerē debebetis, quando omnis vltior pugnandi facultas vobis ablata est: an non videtis vt leui imo nullo negocio, hostis ex noua quam super montem philetēnum extruxit arce, tantum duobus miliaribus hinc distante, omnem comētatum vobis intercipere potest? & insula & mari, præ-

terea omnem accessum, & exitum prohibere. Profecto videtis viri armis & prudentia insignes, cuncta hæc diu melius præuidistis, quam ego armorum & bellandi prorsus rudis, tam tu mercibus venundandis & alendæ familiæ assuetus. Sinite me ergo dicere verū, excessere omnes aditis, arisque relictis Dii, quibus imperiū hoc steterat. Aduersus vim hostiū nulla ars aut custodia humana reliqua est. Expectare aut exercitus Angelicos, diuinæ è cœlo acies, aliaq; id genus miracula, est meo iudicio iratū Deum (quāquā in ipsa ira adhuc miserentē) magis ac magis irritare: consulamus ergo destituti omni humano auxilio saluti nostræ: noli, te rogo Magne Magister per has lachrymas, per innatā nobilitati tuæ pietatē, istā miserā vrbē direptionibus hostiū exponere, senes & mediā etatē gladio, vxores & filias nostras stupro, pueros nostros infamī abominandæque veneri barbarorū: tum insanis æternisque erroribus impii & virulentissimi dogmatis Mahumetei. Vtinā vidissetis equites quibus lachrymis, quāto gemitu, mœsta familia, & plorantes circū matres pueri, nos huc dimiserint, quibus præcibus sint prosequuti. Vellem sciretis quali animo, quantaque cum spe, incolumitatem suam à vestra clementia expectant. Potuisset hæc oratio vel lapidē cōmóuere: verū Magister cui nobilis ille & ingentior spiritus quā præfens fortuna postularet in vultu apparebat. Singulos ad vigilias cū sermo in multā noctem protractus esset, ire iubens, nihil aliud respondit, quā cogitaturū se de cōmuni salute. Et sequenti luce peracto sacro viros rei militaris peritos nominatim Preianū, Gabrielē Tadinū, quem supra Martiningū appellauimus de statu & salute vrbis diligentius percunctari cœpit. Omniū concors sententia fuit: vrbē in quā hosti & fronte & vtroq; latere expeditus ingressus esset, amplius nulla arte teneri posse: prolata hac tristī suorū sententia, post longā sanctioris consilii, tandem omnium equitū & ciuium in quo diuini ac humani iuris plures peritissimi viri fuere disputationem, vtrūne despondere vitā, & ruere in perniciē Saguntinā & factū Abydenorū, an seruare tot miserabiliū hominū corpora, signa, tabulas, æra, monumenta orthodoxæ fidei præstaret? Magister vnanimi oīm suffragio & instigatiōe ditionē faciendā pronunciauit. Dū hæc disceptarentur quatri duana pax fuit, timoris tamen & periculorum plena: violauit hanc Fornouus iniussu ducū: indignatus enim homo nobilissimi & Gal-

& Gallici sanguinis, Barbaros urbem audentius inspectare: tormentarios globos in conferta multitudinē excussit .venit ad hæc per idem tēpus ex insula Creta, naue Hieronymi car manioli, Alphonsus Hispanus summus triremiū nostrarum nauarchus, vir ad omnia maris & armorū pericula summe audax & impiger. Intulitq; in Rhodū vina, & inconsulto senatu Veneto centū voluntarios Latinos milites, nullū Cretensem. Turcæ & fractione fœderū , & quod nauim receperamus: quam multo milite & ipsi & nos refertā credideramus merito commoti versi in rabiē & furorem, fine signis sine dum imperio, per disiecti stratiq; muri ruinas invrbē ad tabulatū vsq; vice quarti muri oppositū incurrerunt. Magnus Magister dimisso consilio & senatu procerū Antesignanorū ad tumultum accurrit. Pugnatū aliquandiu hinc inde est acri animorū contentionē, Magister (quod, quōties rē quispiā impi gre fortiterq; gessisset, tota oppugnatione fecit) ingenti eo die præmio remunerauit uirtutem Dalmatę cuiusdā familiaris, D. Marini restii ciuis Ragusini, quē infana plebs cū more humani ingenii multa noscendi cupido de dispositis insidiis, & suffosso ad cremandos hostes puluere, inquireret, quasi proditionis conuictum non expectato iussu Magistri in carceres coniecit. Parem à vi tumultuq; populari iniuriam accepit coquus antistitis phani Collossensis, non tamen tam immerito quam innocenter. Siquidem octauo kalendas Octobres, dū omnis ordo & ætas circa mœnia propugnaret, magnanimus ipse miles in fastigium phani scandendo irrupit, inde bellatum vtrinq; cædes & vulnera secure, minime tamen ociose prospexit. Nam hostibus à quibus neq; videri neq; audiri poterat, procul in aere minabatur, defensoribus agitatione vexili ibi reperti (vt videbatur) animum addens . Et primum ab hominibus religiosis, diuus Ioannes æstimabatur: inde cognitus homo vocatur fustifer, verbero, sacrilega, proditor: fautor hostium qui eis è specula signum faceret: & quanquam crebro missi nuncii ad descensionem illum hortarentur, nihilo minus personam suam egit, donec iaculis & lapidibus funda excussis impetus, descendisset. Ibi mox turba puerorum & mulierum circumfusus, rapitur, cæditur, mulctatur miser, vnum barbam euellebat, aliis depalmauit faciem, tertius cōculauit ventrem, quartus iugulo ensem intentauit, accurri & hominem ereptū è fati faucibus in publica vincula conieci: hac

pœna non contenta muliebris cōmotio, opera puerorū cárce
res effregit. Et collo grandi fune nautico iniecto (qué mani-
bus puerorū fors obtulerat) miserrimū inter verborum ludi-
bria & contumelias ad crucē protraxerunt: pars sacrilegam:
pars proditorē: multi recutitū appellabant, nonnulli constan-
tius asserebant Turcā esse & missum exploratorem. Perierat
infælix manibus furientiū, nisi commodū renunciatū & af-
fertū fuisset ab antistite tépli esse culinarium suū, natū in Gal-
lia ad fossas Marianas, nec Turcaicæ nec Græcæ linguæ peri-
tū. Simili iniurioso spectaculo, subq; ipsum deditioñis nostræ
tépus & post violatas inducias Magister gladiatorū Turcen-
fium crudelis, & sanguinarius bellator corpore vasto & rudi,
quod conuenientes sequebantur mores: contéptus omniū ho-
minum, superbæ aures, contumeliosa dicta, libidines nouę, in
humana crudelitas, affecit tres Christianos: quos barbari in-
cautos extra vrbē in hostilem campū lupis ferreis protraxe-
runt. Nā manus illis auresq; abscindebat, postea vulnere in-
honesto nāres truncauit, & in vrbē remisit cū huiusmodi li-
teris: Nullā salutem magne Magister, qué ego ante tres, qua-
tuorue ad summū dies his manibus minutim consindā. Et
milites mei populo tuo nulla habita consideratione etatis, se-
xus, ordinis, vi, ferro, flamma miserabilem animā eripient: vt
in signi exéplo posteritati innotescat iustitia Turcarū & Chri-
stianorū perfidia. Quos violatis induciis externa auxilia re-
cipere, & improvisoñis milites trucidare non pudet: quorū ne-
mo (credas) amisit inultā animam. Magister minaci epistola
perlecta subridés, Ne modis omnibus (inquit) oppugnati nō
essemus, etiā minæ, & conuicia addita sunt. Verū magis tur-
bati sunt animo Robertus Perusius, Frater Raymundus Mar-
chetus, de quo supra primo libro dixi, & Frater Raymundus
Lupus à pacis eques vltioris Hispaniæ ingenio acri & sum-
mo iudicio oratores in castris hostiū, quos Achimetus incan-
dens ira ob fœdus violatum & nauim vix mediocrem rece-
ptam, procul dubio omni tormentorum, & cruciatus genere
affecisset, nisi in oppido nostro egissent obsides. Verum cum
Nicolaus Vergotus & Georgius Sangriticus ciues Rhodii,
vrbis tradendæ formulam attulissent, repente lenita est om-
nis efferatorum hostiū exasperata rabies. Tyrannus cinctus
ingenti exercitu & proximiore cohorte prætoria que ad pō-
pam & ad terrorem auro, armisque præfulgebat, singulas pa-
cis ac

cis ac deditio*n*is leges testibus Deo & Mahumete fœderum inspecto*r*ibus, conceptis verbis prouinciauit. Conuenit inter cætera capita, Diu*n*orum templo*n* in uiolata manere: pueros nō auellendos è parentum familia: neminem cogi debere ut Ma humeti nomen daret: mansuris quinquennalem tributorum immunitatem concedi: Abituris dari naues, & commeatum usque in Cretam: Tormentorum bellicorum quantum liberet tolli posse: Diem deferendæ vrbi*s* arbitrii Christianorum esse. Quæ perfidus tyranus deorum ac hominum iuxta contemptor ut seruaret, tantum abfuit, ut die natalis Christi, antequam quisquam fugam adornasset, porta Cosquinii propugnaculi vi effracta vrb*s* infesta signa intulerit. Et sacra omnia prophanans, primarium phanum Numini tutelari sacrū, in ædem Mahumetis conuertit. Euulsis è sedibus suis statuis, et beatorū imaginibus abrasis, sepulchra magistrorū & quicquid sculptum scriptumque magistratus causa erat, dirui ac complanari iussit. Ornata eximiè sacra basilica fuit, & copia vicini marmoris & ingenii artificum, nec diuere modo ipsa simulachra, ac sepulchra euertere satis habuit, sed lapides quoque ne integri cumularent ruinas, frangi iussit. Et posteaque non tam ira satiata quam iræ exercēdæ materia deerat. Templum omni cōposita effigie & simulachro vacans ingressus, veneratus est Mahumetem, qui secundum illud summum & æternū neque mutabile neque interitum numen selectus, maximusque in cœlo esse à barbaris, creditur. Postea hi qui spretis patriæ religionibus, Mahumeti nomina dederunt, gens ad rapinā & immanitatem prona, Iudeis haud absimilis (nā genitalia circumcidere instituunt, ut diuersitate noscantur) transgressi in morem turcarum idem usurpant: nec quicquam prius imbuūt quam contemnere Christum, exurere patriam, parentes, liberos, fratres vilia habere, passim tota vrbe templo*n* confuscare incepérunt, rapere quæ oculis ac manibus obuia essent, miserorum hominū sarcinas ad portum deportatas ut nauibus imponeretur, diripuerūt. Sacrum xenodochiū omni ornatu cultuque & supellectile argentea plane maximi valoris spoliarunt, nullum tormentū nauibus imponi patiebantur, triremibus tamen sua remanserunt magis casu quam illorum vel fide vel gratia. Christianis cæsis fustibus & colaphis vice iumentorum ad ferendū onus vtebantur. Iudeos vel quadraginta annos retro renatos ad Mosén redire cōpellabant, veras

nas seruos tinctos aqua lustrali; Mahumeti sacra facere, Christi crucifixi statuas luto cenoque conspersas per strata eiecerunt, christianis tollere volentibus statim fustuarium paratum erat, in foro aut loco publico nemo expers iniuria aut contumelia esse poterat: Nec is quidem qui imperatam pecuniā exoluebat. Nam ego cum uno solato gallico & aliquot marcellis venetis à pluribus barbaris vexationem meam redemissem, neque possem omnium auaritiam, inopia nummorum explere, miser ad necem usque vapulaui. Magnus Magister concilio siue iussu Achimetis a sumpta humili ueste qualis supplici, victo, & victoris maiestatem veneraturo conueniebat. foris in castra hostium ad prætorium Tyranni iuit, paucis comitibus ex illo infelici ordine equitum. Qui cum die ac noctu semestri oppugnatione ultima auti passiç essent, & iam post vniuersa vita & victoria amissa atque desperata subsidia, affecti continuis vigiliis, longo diuturnoq; morbo, cæde, opere irrequieto exhausti, viribus arma sustinere nequirēt, necessitatibus humanis magis quam vi, in ignominiosam superbissimum hostium potestatem deuenerunt. Magister cum à summa luce in maximam usque diei partem impotus impransusque sub densissima etiam pluia & grandinū turbine diu ante prætorium expectasset, tandem lato clavo à Barbaris induitus, ad conspectum Tyranni inductus est. Ambo alter alterius intuitu & admiratione mutua attonitus, inuicem se se pœniper contemplati sunt. Tum salutatus primum à Magistro, & manum suam passus osculari, sic loquutus perhibetur. Et si merito iureq; optimo deditiois leges quas præscripti irritas facere possim scelustissimis tuis cruciferis ac populo Rhodio, tibiq; in primis hostiam infuso, à cuius merita pœna iustissimum victorem nec fides nec sacramentum flectere debere: Decreui tamen in sontem & nouissima exempla promeritum, non tantum pius esse & clemens sed etiam liberalissimus: cui, si grauissimos vita anteactæ errores bene agendo emendare velit, honestissimos ordines, summos magistratus, supraea imperia in bello, in exercitu, in toga, in pace polliceor. Hæc ne recuses, & præfens fortuna tibi suadet, & christiani quorum causam meliore incepto quam exitu aduersus me tuendam cœpisti, hanc talionem meretitur. Quid enim prohibet quin a tuis omib; desertus & proditus vixius in perpetuam fidem & ultro oblatam gratiam potissimi & benigni victoris venias? Ad hæc Liladamus, Maxime clementissime Imperator inquit oblatam conditionem ego præ tanti ducibus tuis mini-

minimè mereor: Sors autem & merita de te mea haud talia sunt, vt refutare illā vel ausim, vel debeam. Liberè tamen dicam inter arma vītricia, vīctus ante vītorem, cuius summam clementiam nunquām desperauī, cuius fidem haud sum veritus, malo aut statim amissō imperio priuatam & infelicem hanc vitam amittere, aut semper ingloriam eam viuere, quām à meis transfuga potius, quam vīctus appellari: Vinci enim fortuitum est, & à tanto vīctore etiam ipsi vīcto non prorsus pudendum: sed suos defērere, & militiam mutare, ignauiae & perfidiæ plenum duco. Solimannus admiratus cani principis in tanta difficultate animum, & modestiam, iussit demissum à colloquio cum summa fide & satellitio turcaico in vrbem reduci ad augustale. Singuli etiam equites qui Magnum magistrum suum comitati fuerant, veste coccinea donati sunt. Neque hoc officio satis se fecisse Solimannus prudentiae & fortitudini Magni magistri credidit. Die ergo quadam improviso vrbem ingressus, salutato Mahumete, Magnum magistrum reculis suis componendis intentum inuisit. Hic cum se submittere in genua, & vīctoris maiestatem adorare vellet, ille nullo modo id passus est, immo motis paulisper à fronte manu dextra infulis imperialibus, (quod reuerentiae genus turcarum reges deo tantum & Mahumeti exhibere solent) Magnum magistrum Abba, hoc est patrem amantisimum & reuerendissimum appellauit. Et imfrascripta alter alteri per interprætem loquutus est. Prior Magnus magister modestia, prudentia, magnanimitate, non minus inermis in vrbē capta, quam armatus in acie esse solebat, admirabilis: sic exorsus est. Si quanta audacia mihi fuit, tanta fortuna rerumque prosperarum accessio fuisset, vīctor potius in hac Vrbe, quam vīctus essem: verum posteaquām claram Rhodum euertere fata voluerunt, lator te mihi forte potissimum datum esse, à quo vim acciperem & gratiam: Tibi quoque inter alia multa egregia non in vltimis laudum hoc est, vicisse Rhodum, & pepercisse: adiecisti hoc modo potentiae tuae clementiae famam, quæ neque summis mortalium spernenda est: nam per hanc solam æquales deo æstimamur. Seruabis igitur nihil dubito pacis leges, quas dare clementia tibi suafit, mihi accipere necessitas. Aeternum nunc exemplar clementiae & virtutis Turcicæ ero, magis quam si statim deditonem fecissem: pertinacia modo mea, gloria & pietas tua, per orbem terrarum inclaruit. Ad hæc mihi inquit Tyrannus, etiam magna lœtitia est, quod te deus monuerit ut aliquando pacem quam bellū malles,

malles, atque hoc vtinam tibi à principio placuisse: profecto à summa potentissimaque maiestate mea ad hoc tempus plura bona accepisse, quām mala percessus es. Quæ quod nullo odio tibi intulerim, sed sola dominandi libidine, vel hinc colligere potes, quod te, tuosque inuiolatis corporibus, intactis fortunis, hinc dimittam. Haud enim bellum gero vt diuitias, vt opes com parem: sed ad gloriam, famam, immortalitatem, protelationem imperii, tendo: Est enim regis sanguine regum orti proprium, rapere atque inuadere aliena, non quidem auaritia, sed glorioſa cupidine dominandi, cui cum obstat vicius, armis & vi eum tollere satis habeo. Verum Tyrannus ficta omnia loquibatur, & longe aliter quām animo agitabat: Priusquam enim hunc amicum sermonem meditatus esset, ducibus delegauerat, vt maximā onerariam nauim, triremesque militiae & in eis Magistrum cum equitum cœtu Constantinopolim veherent. Cuius rei non modo occultus inter duces rumor: sed etiam inter milites publica vox erat. Quam vbi percepit Liladamus, cum proceribus Turcarum egit, vt Imperatorem suum fidei sacramentique admonerent. Interea ipse sub noctem Christianæ circuncisionis enauigauit, urbem suam infelicissimam perfido Tyranno relinquens, cui quantum uno ab aspectu curuatis more patrio antrorsum poplitibus equo insidente vidi, dare possum. Nec authoritas, nec dignitas formæ deest, Statura est recta, oculis nigris, paululumque trucioribus, cæterum vultu gratioſo & subfuscō. Anteambulabant pedites sagittarii ore circa suprema labra effero pilis intortis (quos mistacas appellant) a tergo sequebantur equis insidentes molles pueri ministri libidinum, forma tamen non satis venusta & incompto nigroque capillitio ad humeros promisso. Sinistrū Tyranni latus obequitabat Farraus praefectus ripæ Euphratis qua minor Armenia Ciliciæ coniungitur, & etiam ultra Amanum montē in Comagenæ finibus, quibus Mesopotamia prima Hismaelis Sophi prouincia, à vetere Sultanorū ditione disternatur. Adduxerat iste nocte natalis dominici .xx. milia integrorum militum, qui cum decem aliis milibus ripam memorata aduersus eruptiones Persarum custodierunt, dum Rhodus oppugnaretur. Quæ cum ſæpe alias obfessa oppugnataque, & fortissime defensa fuerit, maiore vi vincente causam meliorem (vt dixi in oratione mea ad Adriatum. vi.) tandem anno a nato Christo. xxiii. ſupra ſequimillesimum ſub iusto clypeo inſerabiliter occubuit Christiani imperii antiqua propugnatrix, & vt inquit clo-

eloquentiss. vir F. Thomas Guichardus in oratione sua pro Rhodiis, ærumnosæ Græciæ protectio, peregrinantium diuersorum, naufragorum portus, miserorum Asylum, languidorum Xenodochium.

IN SIGNIS VIRI IACOB
BI FONTANI BRUGENSIS IURIS.
CONSULTI DE BELLO RHODIO LIBER TERTIVS.



OMPERTVM SEMPER HABUI operis præsentis materiam vires meas excedere, & feliciore stilo posteris tradendam esse, verum ut palam & in Vrbe Roma hominum doctissimorum theatro ineptus essem, coagit me primum obseruantia sacrorum & nobilissimorum equitum, coegerunt deinde mala mea: nam hæc pectori altius inhærent quam ut eorum nulla à me mentio fiat, difficile quidem est silere cum ames & dôleas. Et mouebit fortè absonus, atq; incompositus hic planctus meus talium animos, qui qua sunt eruditione, bellum omniū maximum maxima cū eloquētia posteris comanendabunt. Quod cū multi in Germania, Italia, Hispaniis Galliis, & in alma vrbe Roma prestare possint cumulatissime ut speramus, prestabit Paulus Iouius artis medendi, & literaturæ cultioris antistes, tū historicus in primis celeber & verus. Deus immortalis, quanta fide, q̄ graui iudicio, quo rerū ordine, quali proprietate verborum, qua orationis facilitate, describit ille aut verius ante oculos ponit, omniū regum, principū populorū, tam in oriente q̄ occidente acta gestaq;. Atq; vtinam facundis omnibus ingenii placeret, quod instituerunt doctissimus humannissimusq; Iouius noster. & Petrus Alcionius iuueniis, ingenio, eloquētia, & multiplice rerū scientia præstantissimus, quod præclarissima, & nunquam peritura ingenii sui monumenta testantur, Aristoteles & Galenus versi: Legatus medices de exilio, Oratio elegantissima de nece Christi ad Quirites, fune-

bris itē laudatio defensorum Rhodi : quæ fortiter scilicet fecerunt , aut dixerunt prudenter alii , quam quæ ipsi sentiant vulgo tradere , profecto res humanae melius se haberent . Sed hic est temporum præsentium status , vt optimæ magis optari , quæ fieri possint . Verum ne prologus sit prolixior fabula , Tertium librum aggredior belli Rhodii . Bellum enim potius quæ oppugnationem vocare libuit : quando non tantum circa urbibus nostræ mœnia , sed omnes arces Rhodi , & aliarum Insularum quæ Rhodiorum sunt , terra marique acriter pugnatum sit . Narrabo hic igitur paucis multa quæ toto itinere ad almā usque urbem equitibus , & populo Rhodio contigerunt , Insularum , Regionum , Vrbium , locorum descriptione exactiori omissa . Hanc enim in appendice magis , quam libro , tum historia , non topographia facere mihi , nec ocium , nec animus est .

EX P V L S I Patria , laribus antiquis , affecti humanis omnibus incommodis , classi lacere hyberno tempore impositi , decem dies aspero mari & tempestuoso errauimus . Appulit tandem ad Schitiam Cretæ insulæ vicum promontorium maxima nauis nostra , quæ in ipso portu dum sub noctem anchoras iaceret , prope impegit . Nauis castellata Hyeronimi Carmanioli , (quem ordo equestris quod tempore difficili Rhodo succurrisset , iure aureorum calcarium donavit) vento pomericiano vehementius flante , in ipsius stationis cautes acta , fœde periit . Ibi vnda maris Turca inclementior , cuncta quæ miseri homines secum attulerant , absorbuit . Reliqua classis alto & ignoto mari iactabatur . Ioannis bouladii nauis , postquam Cortugoli classem euasisset , vndis per laxas compagines incurritibus , fere submersa fuit . Nihilo secundiori fortuna triremes quæ Magnū magistrum portabant in mari Carpatico usq; sunt , nā naufragium prope fecerunt . Sed Deo optimo maximo rebus præter spem succurrenti , cum duodecim aliis levioribus Cretensium nauigii in portum Candide actæ sunt (ea est hodie prima Cretensium ciuitas in plano sita , duodecimo forte ab antro Mynois miliario , verum proximior monti Idæ qui Louis incunabulis , & poetarum carminibus famatus apprime est , in hac Veneti ius dicunt & imperant , vt reliquis omnibus insulæ urbibus . Nam Creta Venetorum colonia est) Magnus magister omni ordine ciuitatis obuiam procedente lachrimanteque , summa cum veneratione à Dominico Treuisano grauissimo & sapientissimo

tissimo consule exceptus est. Miserat hunc senatus Venetus dum Rhodus ob sideretur in Cretam, cum summo imperio & classe sexaginta triremium, viris armisque egregie instruatum. Mansit hic sacer equitum ordo ad inchoatam usque quadragesimam, summa cum cura & diligentia modesta negotia sua componens, classem lacera m reficiens, nauibus nouos nautas imponens (nam flos horum bello perit) inter quos sedulò industrièque omnia quæ vis hostium diruerat, reficiendo enituerunt, Petrus quidam faber nauticus Rhodiensis, & Georgius quidam Ligur Classe nostra quæ tormentorum ictibus Rhodi acceptis, tum nautarum negligentia circa urbis defensionem occupatorum, & multa vnda maris lacera ruptaque fuerat, vt cunque refecta, & necessario commeatu accepto, Februario exeunte à Creta insula soluimus iussu Magni magistri, & nobilissimi equitis Angli F. Guilielmi austoni, viri, integritate viæ, & facilitate morum exultissimi, quem proceres antisignari naui maximæ, imo vniuersæ clasii nauium castellatarum præfecerunt. Quas ventus, & parum propitia aura postquam vela nautæ expandissent, diu in conspectu insulæ aspero mari hinc inde vagas retinuerunt. Tandem post longam cum vnda & ventis conflictationem, neque ullam in insulam nisi parum soli niueo marmore splendentis, cœlique amoenissimi de scésione facta, superatis Naxo vino suo nobili (in qua etiam hodie Bacchi vetustissimum templū cernitur) Zacyntho, Chephalenia, Sporadibus insulis, ad altum pelagus in sinum Adriaticū æstuans peruenimus. Magno magistro procul è conspectu & à tergo relicto, qui cù triremibus quæ nunquam altum pelagus tranant, & nauigii minoris formæ semper secundum oram maritimam nauigavit, omni in loco ad quem descendisset, cunctorū lachrimis, studio, officio, & humanitate honoreq; exceptus. In Corcyra vero & Gallipoli quantus sit ei publice priuatimq; à magistrati, à popularibus exhibitus honor, haud facile dixerim. Sed cum omnium officiosa obsequia, atque præterea commoditatem, & commeatus recentis frequentiam, cætera mala quæ nauigantes pati necesse est, superarent, ingens morbus Remiges, Clastiarios, Sacrosque equites inuasit, cuius vis nequaquam tamen tam efferata erat, quam illius qui inuectos nauibus onerariis, & affectos omnibus humanis incommodis squalore, vomitu, fame, siti grassabatur. Hac rerum incommoditate, cibi, potusq; defectu, factum est se-

minarium magnarum ægritudinum, quæ postea in Messana ci-
uitate regni Siculi nobilissima, in ora post Pelorum sita modico
interiecto Freto à regio Calabriæ oppido distanti, enascen-
tes, seuè & atrociter omnes molestarunt. Plurimos quibus nec
hostes, nec maris tempestates nocuerunt, in aliud sæculum re-
trusere: Mihi etiam ne animam morbi vis eriperet, magis di-
uina clementia q̄ humana ars effecit. Et dum infelices exules pa-
tria & sedibus maiorum nostrorum expulsi, has calamitates &
miserias in terra ignota pateremur, penè cunctis malis gra-
uior omnibus erat mora Magni magistri. Cum enim grauio-
ra nauigia tertio Idus Apriles ad Siciliam appulissent, neque
de se nuncium mitteret, nec veniret ille tertia aut quarta heb-
bomada post, merito omnes plurimum timuere, ne cum tri-
remibus male ad bellum paratis, in Afrorum potestatem venis-
set, qui pyraticis nauigiis mare Siculum apprime infestum red-
dunt: Quidam naufragium fecisse credebant: alius classem
suam pestilentि aliquo morbo infectam non audere procedere
vaticinabatur. Omnia vario tumultu strepere, & vt in
rebus tristibus ac dubiis fieri solet, suo quisque metu pericula
sibi fingebat. Tandem ineunte mense Mayo, Rhodiis, etiam
Messanæ inhabitatoribus omnibus, lux pergrata aduentu Ma-
gnii magistri orta est: Gratior tamen fuisset dies illa mortali-
bus, si principem militiæ Rhodiæ triumphatorem in classe vi-
ctrice & spolia hostium præferenti conspexissent. In lacero
autem & morbido nauigio, vixque vt à prædatoribus tolle-
retur digno, vbi viderunt, nemo lachrimas continere potu-
it. Dici vix potest, qualis gemitus, quantusque ploratus cir-
cunfusa vndique turbæ fuerit. Nemo suspiria, nemo lachri-
mas sponte vbertinique profluente, reprimere potuit, nisi
quem dolor mutum effecerat. Et ultra promiscuæ multitudinis
optimi erga Rhodios animi ista signa. Amplissimus etiam
honor & fauor Magistro Rhodiorum exhibitus est à primor-
ibus regni Siculi, & ipso prorege Hectore penitagello, Co-
mite montis Leonis, heroe natalibus, literis, virtute præcla-
rissimo, qui obuius cū Ioanne lignano archiepiscopo Messanensi
reuerendissimo, & fratre suo Frabicio penitagello priore Baru-
li, eū inter vlnas humanissime exceptum & osculatu, splendido
comitatu multorū nobilium virorū in urbem induxit, venerat
Fabritius hic Messanā cū bis mille expeditis peditibus in agro &
ex iuuētute regni Neapolitani selectis, vt Rhodū suā subleuaret

Est enim

Est enim unus ex equestri ordine sacrorum equitum, idque fecit sola animi sui magnitudine & pietatis affectu, nullo maiorum suorum imperio coactus: Mandatum enim reperat tantum de cōmeatu & nauibus parandis, qua in re diligenter industriēque se habuit cum Collega suo Carolo Iosualdo priore sancti Stephani, qui non semel tantum Rhodiorum animos ad spem, sed demque venturi auxilii erexit, literis missis per .F. Ioannem bressolum equitem Italicum, qui cum prælii naualis peritia etiā literas, & historiæ cognitionē coniunxit. Quin etiam nepotem charissimum Ioannem Iosualdum, qui Rhodi fortiter dimicando occubuit, nauicula præmisit exploratoria ad obſefſos confolandos, socio .F. Michaele peralto equite Nuarro, cuius admiranda parandi salis petrarum ars, & tormentarii pulueris faciendi dexteritas, operumque ignotorum industria, Rhodiis in tempore difficillimo, magno & necessario usui fuit: Saluti autem esse non potuit rebus fessis nemine succurrente. Et his qui succurrere voluerunt, obſtitit fatum: Ne culpam reiūiam in Adrianum .vi. & maximum Pontificem & mortuum, aut in viuentem quempiam Regem vel Principem: Nam & Reges, & Principes omnes, iam conſtat Rhodo obſefſa bene voluisse, optasse defensoribus victoriam & triumphum: Quibus ut potirentur, Carolus quintus Imperator inter homines optimus maximus ē regnis suis, Neapoli, Sicilia, militem, arma, commeatum decem milium ducatorum & gratis, & libere tollere permisit, ē portibus sociorum, & confederatorum gentium in Italia, naues maximas onerarias abducere. Adrianus etiam summus Pontifex, quanquam summa rei nūmariæ inopia præmeretur, & iam legatum cum ingenti pecunia in Vngariam misisset, vt regnum illud in fide atque officio Christianæ religionis contineret procurante Nobilissimo & prudentissimo equite Iuliano à Rodulphis antefignano crucigerorum Capuanorum, in auxilium vrbis obſeffæ sex milia ducatorum erogauit: Quorum loco vtinam triremes vel vacuas, equestri ordini concedere potuiffet, & voluiffet: Nam arma, viros, commeatum, & cætera bello necessaria inueniſſet hic, & iam forte victrix Rhodus de hoste suo triumpharet, immo hostium summum principem (credo) in vinculis continebat. Quod ut fieret maxime optasse non dubito Franciscum Galliarum regem & nomine, & re ipsa christianissimū, qui vel sumis regni pceribus factū haud satis probantibus, et re sub ipsū

tempus in Insubribus parum feliciter gesta , etiam a Cæsare , & socio populo confederatisque regibus vim expectans, sex naues . & inter eas Tremoliā à portu suo Massiliensi vt his Rhodo aux iliarentur Franci , Hyerosolomitani equites soluere passus est : Quos vbi Magnus magister Messanæ repperisset simul cū equitibus Hispanis & Italis auxiliaribus, se uero grauique consilio indicto, causam publice in cœtu omnium equitum & moram expurgare iussit, fuit oratio omniū & deserta, & vera: Sed nobilissimi Auerni equitis. F. Ioannis lidserami longe omnium disertissima, & apertissima, adeo vt singuli veritatē manibus pedibusq; palpare (vt prouerbio dicitur) potuerint. Missus fuerat à Magistro Lidseramus hic tres prope menses ante obsidionem, cū alia negocia, tum vt increbreſcēt fama belli in nos Turcaici, copias auxiliares quanto ocius posset, expediret: sed neque ipse, nec Daū cenuillus & Andugus, quorum supra feci mentionem in secundo libro, quicquam profecere: immo nec Nicolaus husslonus secretarius Magni magistri, & quarta vice missus cū literis à Bartholomæo politiano viro doctiss. prudentissimoque scriptis . F. Antonius boyſius accensus equitum Italorum, vir rebus gerendis longe accommodatissimus, qui cum Fabritio carectano optimo & laudatissimo principi ob fidem, industriam, diligentiamq; suam semper fuerit charus, etiam ob virtutes suas huic magistro acceptissimus est: Postremo deniq; cum totius rei nostræ ſūma grauiter periclitari inciperet, exiit, vt supra dixi. F. Emericus Reaux ad trāſmarina auxilia accelerāda: sed cū horum oīm nec diligentia, nec industria profuerit, in durū atq; ineluctabile fatū, cladem nostram sine cuiusq; offensione reiicere possum, & merito (vt puto) & prudenter. An non fato potius quam hominum riauticorum vel perfidiæ, vel ignorantiae affreibam? quod nauis Ianuensis maxima, quam feraam vocant, commeatu, armis, viris, refertissima tranquillo mari atq; in ipso ore ligusticæ portu Moncæcho Herculi ſacro fœde perierit. Et iam Thomas nuport prior aquilarius legionis Anglicæ delectam manum sagittariorum Britanicorum & auxilium vitæ ignotum, argenti pondus & auri Rhodium ferens, cum in ventum contrarium incidisset, vi tempeſtatis iterum in insulæ desertum quoddam promontorii repulsus, vnda maris cum omni gente sua submersus est. Et ne in omni loco fortuna, vt Iuno Troianis, Rhodiorum nauigationi non aduersaretur, fratrem Antoniū a. S. Martino priorem citerioris Hispanię, ſenem in armis a puero exercitatū, & Home

rico

rico Nestori simillimū in piraticam classem Afrorum iniecit, à quorum tormentiorum saxonum iactibus tantam vim rostrata nauis sua passa est, vt pene fluctibus depressa fuerit. Similem etiā vim ab hostibus accepit nauis oneraria Prioris castellæ Didaci toletani illustrissimi ducis Albæ filii, digni profecto tanto patre: Nā præter egregias corporis dotes, animi quoque bonis, iustitia, prudentia, fortitudine egregiè excultus est. Cum ergo Meslanæ facer equitum ordo subsisteret, & pestis futuræ suspicio hominū métés iam præoccupasset, ne tāto malo miserrimi Rhodii exules post tot tantasque ærumnas suas contaminarentur, visum est pā tribus, locum, aeraq; salubriorem inquirere. Indicto igitur hanç ob rem sacro magnoque concilio, omnium suffragiis ager Neapolitanus & amoenitate cœli & fertilitate glebæ, rerumque omnium quibus vita sustinetur copia, aliis prouinciis præstare iudicabatur. Placuit igitur eo cursu dirigere, sed Puteolani cū post I-dus Iulias classis nostra eo peruenisset, mandare magistratu Nē apolitano, timore contagiosæ pestis terra nos prohibuerunt: in ruinis igitur Baiarum & specubus circumuinicinis aliquādiu nos continuimus, vitam trahentes missa ē Neapoli & Puteolis alimonia, quam distribuit industrius eques Narbonensis. F. Ioannes nefacius, qui hostili obsidione tribunatum militarem & diligenterissimè & sapientissimè gessit. Verum cum suspicionem hanc vanam fuisse compertum esset, laxior annona vrbe ad nos rediit, & honor Magno magistro à proceribus regni exhiberi cœptus. Carolus lanoius rei militaris & regni iuste sapienterque administrati laude illustris, munera cerealia ad Magnum magistrū misit. Postea etiam in æde sacra diuæ virginis ad fauces criptæ Neapolitanæ eum honorificè excepit, cinctus ipse splendidissima & nobilissima corona procerum regni, atque custodibus corporis hastas præacutas gestantibus: quorum tunics ante & retro aquila imperiales intextæ erant. Verum cum sulphuræa Puteolorū graui insuetoque odore suo multorum capita & sanitatem læderet, & alia multæ causæ recessum suaderet, nèc haberet mœstus senex regno electus, patria extorris, quo & salubrius & decentius cōfugeret, quām ad sacrosanctam Romanam ecclesiam vt eius sanctissimo tunc antisti Adriano. vi. casus suos expone-ret, vnanimi suorum decreto petiit ciuitatem veterem, quæ in ora est maris inferi, distans ab Vrbe Roma trigesimo miliario: Estq; ibi à reuerendissimo Episcopo Conquensi hispano, Summi Pontificis nomine, mira & ingenti gratulatione exceptus: Admoni-


tus etiam ut quamprimum Pont. Max. inuiseret, cum sacra militia non nisi diuum numine è tam rabidis hostium & perfidiæ turcaicæ faucibus erepta. Cupere sanctissimum senem & pontificem ante vitæ exitum dare sacratissimo & nobilissimo ordini equitum, & vago miserrimoq; populo Rhodio quietas sedes, urbemq; mansurā. Magnus igitur magister non diu cunctatus, Romanam profectus est. Sacræ militiæ summo imperio delegato nobilissimo equiti. F. Bernardino arasche præfecto maris & olim arcis. D-Petri in Caria, in qua contra vim & infidias barbarorū (dum Rhodus obsideretur) custodienda & prudenter, & fortiter se habuit. Quomodo autem Magnus magister, quantoq; cū splendore & ornamento Romam ad ædes ipias pontificias inductus sit, haud satis explicare possim homo tenuis facundiæ, in libello adhuc angusto. Processerat obuiā vel extra muros urbis pontificis maximi domestica familia induta palliis rubris, patres purpurati, quos summa secundum pontificem maximum dignitas atq; authoritas raro in publicum prodire sinit, familiares misit honorarios, qui ante Magnum magistrum vecti mulis cooperatis stragulo coccineo ad terrā dimisso, dominorum galeros gestabant: hos sequebatur Archeepiscoporum, Episcoporum, aliorumque prælatorū sancte Romanæ ecclesiæ, & virorū quos aut insignis eruditio, aut vita authoritas cōmendaret, magnus numerus fane maiestate & grauitate morū cōspicuus: Ipsū autē Magnū magistrum cingebat vtrinq; pedestre agmen Heluetiorum custodum corporis pontificii, ambulans passu militari compositoque ad sonitum tympanorum, fistulæque Germanicæ, manu longa hastilia gestans, quibus ferox illa natio hostes suos in præliis cōfudere solet. Adfuit etiam prætoria cohors equitum: Item præetus urbis cum satellicio suo, & vigilum ministrorumque iustitiæ equestris pedestrisque turma, Hac pompa comitatuq; omniū ordinum & magistratum urbis Romæ dum per medias turbas hominū omnis ætatis, sexus, atque ordinis, qui passim ad spectaculum è vicis domibusque sese effuderant, ille ad Vaticanū veheretur, moles Adriani eademque diui Angeli arx honoris & lætitiae signum, immanes frequentissimosque bombos tormentariis machinis expressit. Postea locatus in honoratiore parte ædium, cum sacro sancti Antistitis maximam in terris potestatem adoratum supplex de more veniret, processit ei obuiam aliquot passibus Adrianus. vi. quanquam senex & æger, & summus Pōt. Qua in re ostendit egregie Adrianus diuinus homo & huma-

nus

nus deus innatam sibi cum cæteris virtutibus à puero humilitatem. Evidem si historiam liceret in panegyricum uertere, optare mihi hic ad Adriani laudes describendas eloquentiā (non dico Ciceronis, quam assequi nullo modo possumus) sed F. Hypoliti Emilii à Péna billorū augustiniani declamatoris diuini verbi facundissimi, qui dum defensores Rhodios vehementia orationis in prælium animaret, ipse lapide ictus, exanimatus est: persuasi enim mihi si iustus deus vicario suo longiores annos tribuisset, restituturū fuisse in integrū (vt verbo iurisconsultorū utar) sacrum Hierosolymitanorum equitum ordinem. Quod vnicē apud illum procurabat popularis suus, idemq; militiae Hierosolymitanæ nobilissimus eques .F. Petrus dux. Spes tamen est, imo fides certissima facta equestri ordini, quod omnia quæ Adrianus ante diem vita ereptus, omisit, Clemens vii. Pont. optimus, laudissimus vel supra vota resarciet. Qui cum omni cura, industria, vigilantia semper apud Leonem .x. Pont. Max. eius germanum fratrem, & Adrianum, vi. militiam Rhodiam protexerit, fuerit, amplificauerit: Iam meritis suis & diuina prouidentia adiutrice orbis & Vrbis imperium assecutus, eandem omni studio iuuat, fauore prosequitur, beneficiis accumulat. Gratias, priuilegia, indulta Romanorum pontificum antecessorum suorum non solū nouo diplomate firmauit, verum etiam sua sponte quām locupletissime auxit. Quod vt semper faciat, & inter principes Christianos acerbissimis inter se odiis dissentientes æternam pacem clementia, prudentiaque sua componat, longam & felicem vitam sanctitati suæ optemus. Philippo quoque Vilerio Liladamo de communi hoste Solimano Turcarum Tyranno victoriā tam felicem quām olim de Gaurio Syriæ, Arabiæ, atque Aegypti rege retulit, cum ei duas classes in sinu Issico caperet: vnam factā quidem, alteram fere fabricatam, & in Regem Lusitanæ principesque occidentis destinatam. Quod cum sanctissimus & prudentissimus Pontifex compertissimum habeat, nec non alias innumeræ virtutes quibus Romæ inter pontificatu singularis Liladamus extitit: Nam præfectus à collegio patrum Purpatorum custodiæ sacrorum penetralium quibus comitia includebantur, prudentissime mandatum sibi munus gerens, sacro ordini fidem & diligentiam suam approbavit. Cum Collegis omnibus modestè & familiariter vixit. Nemini se præponens, omnibus obseruans, nullarum partium studiosus, vnde facile summam laudem sine inuidia inuenit. Et merito suo summo

summo Pontifici factus est charissimus. Qui in eo ornando omnia studia sua, omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem fixit & locauit. Viterbiū ecclesiasticæ ditionis vel primariam urbem inhabitandam concessit. Ad quam Magister dum hæc scriberem, vt sibi venturo cuncta præpararet, F. Carolum Pipam misit Præfectum agentium in rebus suis, virum ingenio, morumque facilitate, & industria animi ad res omnes gerendas longe aptissimum, quod cum saepè alias, tum optimè in obsidione Rhodia perspexi.

Finis.



REVERENDO ADMODVM
VIRO D.FR. THOMAE BOSIO MELI-
TENSI EPISCOPO MELITIS.

N G A L L I A Melitam editurus, quam ante annos aliquot elephas istic conceperam, nolui indulgens, ne dicam simius, pater recentem & tenerum foetum, nullius adhuc roboris, ruboris plurimi, cœlo pati usque adeo disuncto & docto vagari, tutius inter suos lalaturū. Itaq; Melitā reliquo melitā sed solam non audeo: vt solent semper liberis parētes timere. Illustrissimi itaq; militie nostre magistri ductu & patrocinio ad cunas suas reputabit, alterum te parentem & nutritiū isthic inuentura: vt qui patrem tibi iam dudū asscriptum habes, iure quodam originis partum pariter vendices. Bene vale. Lugduni XVI. Maii Anno M. D. XXXVI.

Ex animo tuus Quintinus.

QVINTINVS H A E D V: VS SOPHO SVO S.

ELITAM demum superato Pachyno peruenimus ad Nonas Aprilis, quum nos ante Septembris Idibus Massilia soluissemus. Tam lentè (dices) tam pauca stadia? Sophe, tarda nunque est hyemalis nauigatio: nec in tanto discrimine, ullo tépore serius venit, qui saluus venit. E tribus ipsius Triquetræ promontoriis, Pachynū vnum est vergens in Græciam. vnā aut alteram modo literā retinens de veteri nomine, Passarò dicunt. Melitam vero quum appulisse, nihil prius habui, quām (quod de aliis quibusdā proxima ad te epistola feci) ut spectandam tibi illā proponerem: idque non longa valde tabella: neque enim locus est magnopere scriptione dignus. Melitas multas apud authores legimus: est Melita in Græcia ppe Marathonē campū, est alia à Semyramide condita in Cappadocia, haud pcul Euphrate. Est & Melita in Adriatico sinu inter Corcyrá & Illyricum. Melitam quandā posuit Plinius in Magnesia. Nostra hēc Melita insula est milibus sexaginta, mari fatis periculo ab Sicilia disiuncta, Africam versus, Punicę quandā ditionis, que & ipsa adhuc Aphrorū lingua vtitur, & nonnullę etiamnum Punicis literis inscriptę stelę lapideę extant, figura & appositis quibusdā punctulis, prope accedunt ad Hebreas. Atque vt scias aut nihil aut minimū differre à vetere, quod nunc habent idioma, Hannōnis cuiusdam Pœni apud Plautū, Auicennę, huiusque similiū Punicā verba plurima intelligunt Melitenses, tāet si sermo is sit, qui literis latinis exprimi bene nō potest, multo minus ore aliquo enūciari, nisi suę gentis. Eiusdē quoque sunt lingue verba illa in euangelio, Eloi, Ephta, Cumī. Nunc Siculi iuris est ac moris. Romanorum enim esse incepit, quum & Sicilia, semper eodē pōst iure, iisdēque pr̄etoribus vsa. Vrbem vnā eodem, quo ipsa est, nomine habet. Non in nouissimum profecto digna admiratu insula, vel ob hoc vnū, quod quum ingēs sit & spatioſa quēdā rupes, verius quā insula, queque olim natura nolēte (est enim, vt dixi, scopulo que insulę similiōr) haud magnas opes, magnumque nomen sibi facere potuerit: tamē aliqua semper extiterit apud antiquos nominis célébratione. E plurimis cognita mihi, pauca recenſebo, dum vacat, & in eiusmodi nugis ludere adhuc iuuat. Principio, insulę Melitę rex quandā fuit, Battus nomine, opibus & diuitiis potens, in Ex Ouidio
primis 3. Faſtorū.

primis & nobilis, clarus insuper hospitii fœdere cū Phœnissa Di done, iā tum vltimis illis téporibus, dum hęc exiguā adhuc Byr sam taurina tergo in littore Libyco metaretur. Ad quē etiā post regno expulsa per Hyarbā Anna, sorore mortua, confugit, hospitium vetus Melitensium & necessitudinē sequuta: vbi comiter accepta, & pari fide apud hospitē Regē habita, profuga duos egit annos, relictę patrię, regni, simul & sororis amissæ desideriū vna Melita, quantulacunq; esset, tā grata & obuia terra solās, quā deinde metu coacta Pygmalionis fratriis inuita deseruit, Romanos olim fastos actura, inquit Ovidius mensis Martii festa recensens. A grigentino Phalaridi magno, ac vetusti nominis tyrāno (vixit enim dum tertius Romę Tullus Hostilius regnaret) nō leuis intercessit cum Melitēsibus amicitię coniunctio, cuius est ī Lucianicis epistolis ingēs argumētum petitę ab his, & mutuo sumptę per ty rānum pecunię. Est Agrigētum, qui & Agragias Vergilio cāterisq; dictus, oppidulum modo in ora Sicilia; cētum vigīti ā Melīta milibus, nihil nunc pręter veterē appellationē, eandēcū valde corruptā de antiquo seruās, tum fuit nobile, & tum quoq; vixdū bene cōdita erat Roma, quum iā nostra hęc Melita florebat Regum, tyrānorūq; amicitiis, seculis aliquot āte exēdificata. ī qua pariter ab oppido non longe (vt author est Cicero) in promōtorio fanum fuit Junonis antiquissimum, & nobilissimum, magna vi donariorum priscam circum populorum religionem ostendens. Vnde inter cetera sublatos incredibili magnitudine dentes eburneos, & in Aphricam per p̄fēctum Regium portatos, recognita, statim quinqueremi, numē veritus, Maſlinissa cō referēdos reponendosque curauit. Hercules etiam delubro hic omnibus vbiq; gentibus sanctissimo cultus, Melitēsium laudis admiratio nō postrema est. Junonem Ptolemæus in ea insulā parte posuit, quæ Orientem spectat, Herculem ad Austrum, utriusq; sacri fama est parum tamen hactenus incolis audita. Herculani templi (si modo vera ē Ptolemæo diuino) immensæ adhuc reliquiae patēt, circuitu in passus ter mille & ultra, in eo insulā angulo quem ab argumento loci, patria lingua Euri portum nominant. Imā pars extat in plerisq; lapidum longitudinis crassitudinisq; stupendæ. Iu nonis templum nō solum inter magna, sed etiam inter magnifica numerari potuisse arbitror ex his quę pauca durāt, medio ferē loco inter oppidum & castellum. Ruina sparsa appetet in multa iugera, fundamentis & substructionibus templi bonā portus eius partem occupantibus, longe etiam in mari in quo inaedifica-

tum erat infra cliuū promontorii,in planicie vndiq; à ventis pre-
altis rupibus defesa. Non est locus effabilis,nisi gentis ipsius ore.
In vertice promontorii facellū est diuē Virginī dicatum,cogno-
minatę à corte. Et hoc quoq; super ceterā antiquitatis gloriā Me-
lita prefert,quod cum inter duos terrarū principes populos,Ro-
manū,& Carthaginiensē,de Sicilia imo verius de orbis imperio
certamen esset,non paruum semper,ab alterutro teneretur,victo-
rię momentū attulit,plurimumq; valuit ad Siculos,prefertim,in
fide partiū & imperio continendos: est enim velut specula que-
dam in hoc mari ad Aphricam, ex qua facile in Siciliam irruas.
Hinc à Cicerone scriptū his ferè in locis Punica illa bella naua-
li prælio gesta,atq; versata esse: Romanis tamen inclinatior. Hæc
nempe in magno secundi belli Punici apparatu dū à Pœnis pos-
sideretur, sedente iam ad Trebiam Annibale,adueniēti Sempro-
nio cōsuli,qui in eam à Lilybæo traiecerat,cum Amilcare Gif-
gonis filio p̄fecto p̄sidiū,& paulo minus duobus milibus mi-
litū statim tradita est,inquit Liuius libro eius belli primo. Præto-
ri Verri Melitēs vestes in iudicio,mella quoq;,& stragula Meli-
tensia obiecta sunt. Puluinus item Melitēs rosa fartus. Huic in-
sulæ Strabo nobiles illos adagio,non minus q; medicinis, canes
adscribit,inde Melitēs dictos Plinio,& nunc etiā incolis igno-
tos, tunc forte nascebantur. Scribit in historia sua Lucas euāgeli-
sta Paulū Christi Apostolū Melitam venisse, naufragūq; & vin-
ctum multa humanitate à Barbaris suscep̄tū. Quin etiam & hoc
memorię proditū est,Melitē Innocētii primi téporibus,qui papa
fuit à diuō Petro xxxix.habitam synodū,ducētorum & quatu
ordecim episcoporum contra Pelagiū h̄ereticum,& de nōnullis
etiam regulis ecclesiasticis,Imperatoribus Archadio & Honorio
augustis,in qua tū p̄ter ceteros,adfuerunt Syluanus ep̄scopus
Melitē,Aurelius Carthaginiensis,& Augustinus Hipponeñ.epi-
scopi:inde illa Melitēsia cōcilia,receptissimę inter ecclesiastica de-
creta autoritatis, Meliuetana Gratianus nominat:& magnus ille
Manichœrū ppugnator Faustus,Meliuetanus pariter nūcupat:
Quā nunc vulgo appellationē Romana similiter curia v̄surpat,
de Melita n̄ra sentiens,ex qua Meliuetū detorserūt:cū neutra vo-
ce vulgaris appellatio cōuenit,Malta vocatur . Antoninus in iti-
nere suo recensens Insulas inter Siciliam & Aphricā, meminit
cuiusdam Maltatię:vnde puto à corruptis illis & iā barbaris té-
poribus n̄am quoq; nunc vocem corruptā. Quod vnde cunq; &
K ii
ā

à quibuscumque immutatum nomen fuerit , hanc tamen insulam & esse , & dici Melitam sunt testimonio geographici omnes atque historici . Et insuper ad fidem epigramma quoddam ingenti marmoreo sepulchro hic adscriptum, sequentibus notis.

Λ' ΚΑΤΙΟΒ. ΚΤΕ. ΠΡΕΤΕ ΡΩΜΑΙΩΝ, ΠΡΩΤΟΣ ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ. Numisma vetus habeo ex ære in quo altera parte excusa Deæ Iunonis effigies , altera Remi latitudo , hac inscriptione , **ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ.** Quæ nobis & nomen , & insignem gentis artem prodit . Sunt alia apud alios , quæ quamlibet desertam Melitam , in obscurō esse non sinunt . & modo (quod primis suis ornamētis annumerari debet) Melita hospitalium Militiū sedes est . Patet insula tota circuitu L X. milia : qua latior est , passuum milia XII. continet longa passuum milia XX . Nulla in toto nostro mari insula distat à continenti longius . Qua plus Italiam propinquat Cocyntum est , nautarum modo vulgus loco dedit nomen , Spar-tiuentò , quod esse longissimum Italiam promontorium existimat , intersunt passuum milia ducenta . Pluribus ab Africā recedit . Quibus fuit curæ cœlo terras dimetiri , ciuitatis Melitensis radicem , insulæque medium dixerunt esse in gradibus 38. 45. longitudinis , latitudinis vero 34. 40. Pagis est , & incolis frequentior quam pro terræ bonitate . Parœciæ octo sunt extra oppidum ipsum , in quibus (quod iure admirabile est in tam angusto , deserto , & agresti loco) censentur hominum capita supra viginti milia , & quod æquè mirandum , plerique vitæ annos excedentes octoginta . Hanc Siculum fretum tam crebro lancinat , tam multis recessibus excavat , vt breuis admodum ora in sex aut plures curuetur portus in quibus ferè omnibus vestigia quondam habitati soli . Semper enim fuit pyratica statione nota . Scribit Diodorus siculus , solitos ad hanc configere , qui pelagus occidens petebant , ob utiles in ea multis nauigantibus , & tutos portus . Qua ex causa , fortunati eius incolæ propter beneficia mercatoribus impensa , & opibus (ait) & gloria rem auxerunt , artes etiam varii generis exercentes . Reliqua ferè sui parte rupibus immēse altitudinis , ac profundo mari septa . Arx est præruptæ alta in cacumine excisæ & vndiq; impendentis rupis , ad Orientale insulæ latus , in Aquilonē tendens , ante tota ruinis deformata & caduca , vix consitēs , sed quam modo , præter naturalia præsidia , & præcipitia , sic assidue quoq; opere muniunt , vt sit si pergent , futura breui inexpugnabilis , & hosti nullis belli machinis , nullo ferro , sed fame tan-

tum

tū peruvia. Intus habitat illustrissimus ordinis Hospitalitatis Magister. In arcis pede vicus est (nunc hominum frequentia, & muris ciuitas) in rupe quoq; totus exædificatus, aut verius effossus: quem vna cum arce, dextra, leuaq; admissum ad portus mare circumactis, curuatisq; littoribus alluit. Agit hic hospitalium militum conuentus, sane perincōmode: locus est enim ventis omnibus obnoxius, vt vniuersa Insula. Lacerē, & ruinoē ædes putribus & infectis parietibus, humili solo: sine cōtignatione ædificia, tecta rudere, aut pavimentis, aut arundinū tegulo opta, quod post pavitur. Quid vis? urbem demas, & suburbanas aliquot domus, Aphicrana magalia dices. Terre tamē quoddam genus habet lautiores, lactei coloris, quæ pro calco & gypso aqua diluitur ad tectoriorū albaria. Octo à vico milibus in mediterraneo ciuitas est, maioris cuiusdam reliquæ: non in amœna quidem illa, & culta satis pro loci gentisq; genio. Salubri cœlo, sicuti tota insula, iis præsertim qui iā diutina mansionis consuetudine illi assueverūt. Fontibus rigua est, hortis consita, palmas, sed steriles, nec sponte genitas ferētibus: insula tamen olim velut palmarū colonia quedā tū Diodoro credamus, oleasq; ac vites (vnis tamen q; vino meliores) & cum reliquo pomoru genere, ficus: breuiter, eosdē omnes quos & Italia, fructus producunt. Rosas quoq; gignunt odoris suauissimi, vt sunt hortensium, quibus abundant, omnia odoratissima ac saporis gratissimi apud eos, quia sicca. Rosa tamen præ cæteris, quæ proprie ruderatum agrū amat, qualis est Melitensis. Quare fiunt optima & hoc tractu mella, vt quæ sint Tymi, violarum, florumq; apibus, & alueariis conuenientiū condita: Sic vt nomen traxisse videri possit insula, ipso nomine mellis gloriam statim preferēs: huic pariter est cotonū familiare, vnde magni pūetus insulanis: hoc olim aliqui gossipio vocauere, plures xylon, ideo lina inde facta xyлина, inquit Plinius, Aegypto tantū nascēs dum is autor vixit. Nunc in Sicilia, Calabria, Hispania, & aliis locis pluribus seritur, verū Melitense maxime horū laudatur, multū præcipue superato Aphrico & Hispaniensi: alterius enim nationis crassius est. Cotonon cæteris aptius Vlpianus ἐφιστύλως nominavit, quasi dices ē ligno lanā, & lanæ appellatione continet respondit libro tertio de legatis. Specie eius non tradunt autores quos equidem legerim: prolixus itaque depingam: præser- tim quia est admirabile nostratisbus, aliquid ex arbore nasci, quod tam molle & laneum ab exoticō aliquo animante detonsum putat. Frutex est arbusculę modo, pedali magnitudine, caule ligno.

so, à quo ramí terni, quaterniue fruticant: folia , ni minora
 essent , vitium poterant videri :Flos subcōeruleus:fructum de-
 fert amplitudine auellanæ nucis, qui maturitate ruptus , p̄edu-
 ras pilas ostendit tenui lanugine obductas, ex qua cotonon ne-
 tur in textrinis,mira depectédi arte:ex quo & mapalia,& vestes
 h̄ic muliebres conficiuntur,vt iam nobis laniferæ Indorum ar-
 bores,gossam pinæq; vestes miraculo esse non debeant.Hę sunt
 illæ lineæ telæ, tum tenuitate,tum mollitie spectatæ Diodoro.
 Ad vela nauiuū etiam perutile, & multum expetitum. Solū amat
 tenue magis q̄ pingue,cœlum vtiq; siccum,vix aliter habiturum
 Melitæ aruum.Miratus sum hoc,quanquām calidius solum est,
 fimo misceri ab agricolis & stercorari,quum sole statim inares-
 cant omnia. Vere seritur,nec nisi pridie madefactum,& in aruo
 statim restibili:illo enim agrum pinguescere ferunt,mox aratrū
 integritur crate,vel rastro quod supertrahunt:suo sarritur tempo-
 re,& runcatione quadam inutilibus herbis liberatur tam manu,
 quām sarculo:dum vellitur,tunc pluuias horrent.Incole hoc ma-
 xime cupiūt ferere,si liceat:quoniam quæstus plus q̄ è frumento
 cuius etiam admodū ferax non est insula.Hac vna re vel maxi-
 me felix,quod iuxta sita est Sicilia,frugum omnium fertilissima,
 quæ illis pro horreo est,fame alioqui perituris.Et homines etiam
 superstitioni,ceu patriæ sterilitatis consciī, valde tenuem vitam
 agunt.Gignit etiam Melita cuminum,notam herbā medicinis,
 & condimentis,quòd & crustæ panis inspergitur gratissimè.solo
 gracili gaudet. Duo eius genera.vnum est magna gustus acri-
 monia,aromatū modo odoratum.cuminum agrion vulgo vo-
 cant:alterum p̄ omnia refert anethum,& anisum:satiuū vtrun-
 que.Cumino Aphrico,quale hoc nostrum,palma semper data:
 vnde incolis magnum cumini atq; cotoni cū exteris nationibus
 commercium. Super omnia est,hanc soli exilitatem,nec ipsam
 agricolis operosam,toto anno seri,& inde aliquid meti. Biferæ
 arbores,binæ s̄æpe messes, demesso enim ordeo,mox cotonum
 succedit, vel ordeum cotono, adeo terra non cessat parere. Idq;,
 si sit aptum solum,magna fœcunditate:è modio siquidem sexde-
 cim,& plures nonnunq̄ modii redduntur:ordinarium autem vt
 cum decimo ac duodecimo fœnore totius insulæ campi fundat:
 od id(credo)ab Ouidio fertilitatis titulo decoratur Melite.Pet-
 rofa pene tota est,& salebrosa,etiam (quod non crederes) vbi
 aliquid gignit,terra vix binum aut trinum cubitorum altitudi-
 ne,vt s̄æpe mirari succurrat,quomodo in ea radices agant arbo-
 res,

res, fruges gignantur, frutices viuant, lapidibus omnia occupantibus: operariis tamen quippe qui structuræ, & ædificiis non habentur inutiles, nec in calce improbentur. Candidi sunt, & molitiae insignes, ferra secantur facilius etiam quam lignum. Ingétes saepe lapidum glebae è solida rupe cuneis diuidentium soluuntur. Ideo in opere tractabiles, sed minus ad humores, & aurā maris robusti, nec satis coagmentationibus & cémentis nimia siccitate fideles. Pleraque eius alia inculta, & deserta omnia. Campi late pleni lapidibus: sub quibus tamen gramen exoritur, à quo pecoribus pabuli suppeditatur vbertas. Atque haec rupes magna ex parte serpillo, cythiso, thymo scatet. Trogloditæ in ea multi: specus excavant: haec illis domus. Passim non nisi atræ degenerescunt herbae. Carduis quibusdam incolæ pro lignis vtuntur, qui cù siccato boum editu, clibanis & furnis præbent vsum: Idem præstat cotonii semen, gratissimum pariter pabulo bubus, glandis sapore. Aliis item carduis vescitur vulgus: non iis quos iam in ganeam cum Italis vertimus (quanq[ue] & hos habent in magna copia) sed multo asperioribus, salsa & fœculenta aquæ: & qui sunt in insula dulcioribus aquis fontes, credo hybernis plerosque constare imbris, quorum non in altu origo est, frequenter enim estate deficiunt, semper subsidunt. Potus ex imbre (si quis est) cisternis seruato, & frequentius scrobibus: Aestu vere Lybico infesta: vt hic iam sitientes Virgiliani pastoris Aphros agnoscere incipias. Vulgus colore præfert sydus, tingitur sole, nondum tamen Aethiopum modo exustum. Aestum temperat aliquando ventus, sed tanta violentia, vt homines pene, & tecta rapiat, puluerem secum agens oculis maxime noxiæ: in quos etiam regestus è rupium candore nimius solis ardor aciem supramodum offendit, oculorum caliginem & scintillationes afferens. Neque niuem, neque glaciem viderunt unquam. Septentrionales enim venti, qui nostratis, vt omniu[m] frigidissimi, niueales sunt, & cœlum reddunt serenu[m], his frequenter imbres pariunt: quod à Lucano de Aphrica similiter traditum est. Quare alieno tempore vernat. Bruma nunc virent omnia, florent etiam arbores. Tum maxime læta pascua, herbis etiam media inter saxa erumpentibus. Reliquo fere anni tempore exusta flammis, & solis incendio cremata. Roscidas tamenestate noctes habent, pluuiarum vice: Fruges nocturno hoc tactæ rore nutriuntur. Quin & eodem, animalia crediderim ali, quum siccitas coercet herbas, tunc sub diuo muris inclusa pecorum mansione. Siculo sunt homines in-

genio, Aphro confuso, ad prælia parum fortis & cōmodi. Non eram dicturus, nisi rex ipse Melitensium Battus grauius quiddā de se suisq; apud Ouidium fateretur. Fœminæ non ignobili forma, sed persimiles feris, cœtum reliquorum mortalium fugiunt, velatæ prodeunt foras, ita ut hic vidisse mulierem, stuprassæ sit. Gens est religionis haudquaq; negligens. Diuo Paulo consecrata est Melita, quem quondam natio illa Deum credidit, cuius mira quædam tota insula priuatim ac publicè religio est. Augustinus in ea templum, vbi nunc Episcopi sedes, Paulo dicatum est: & tota ea insula facella. Nec enim (Lucæ adducti, sicuti volūt, annalibus) tenacius, certiusve credunt indigenæ Petrum Romæ fuisse, quam Paulū Melitæ, q; sibi quoq; persuasionem, nauigandi quadā ratione, cuius sunt apprime periti, sampsissime videri volūt: quā ab eis acceptam referā, vt potero: dignè enī scitu visa est, nec minus iucunda auditu, iis præfertim qui rebus marinis delectantur. Rem igitur sic extra controversiam ponere conatur. Paulus (inquiunt) Cretam deserens è Claudæ (Ptolemæo Claudus est, Plinio Gaudos, vulgo nunc Gezō) medio inter Occidentē & Meridiem portu, iis actus ventis quos Lucas describit, neq; Lefbū, necq; in Ioniam, quo nonnulli Paulū Melita auertunt, ferri potuit. Siquidem eo inde nauigatur non Orientalib; ventis, qui contra flant è diametro, sed Meridionalib;. Qui tum Paulum deseruerunt, dum Cretam præterlegeret, coorto Typhone, quo correpta nauis obniti amplius non valuit, nec cursum in Italiam tenere, A Creta verum est Euro, qui tum spirabat, nauigari in Siciliam, plena & tranquilla velificatione. Et certe Eurus ab insula Claudi Paulū recta vexisset ad Pachynū Siciliae promotorum, nisi (quemadmodum scripsit Euangeliſta) εὐροκαίδεωψ fuisset, id est, nisi fuisset Eurus cum fluctuatione & tempestate maris. Quem tunc ventum nautæ solent Typhonicum cognominare, præcipuam nauigantium pestem inquit Plinius. Hoc enim violento nimis & procelloso Euro iactata Pauli nauis, relicto ad dextram Pachyno, infra multò ad Melitam, quæ tum fuit eiis propinquior terra, vi venti abrepta est: vbi in littus impegit. Vnde Romam (si quis cō velit) mari iter est, quale ordine posuit Lucas, Syracusis, Rhegio, Puteolis. Rident illum nescio quem Euroaquinonem mari nostro(aiunt) & terris incognitum, quē admirātur quē noua orbis regio insufflarit illius sacræ historiæ interpretibus. Hoc sibi modo Paulum astruūt nautæ Melitenses: Cuius insuper vestigia non in uno loco demonstrant


monstrant, & adorant. Visitur littus loci illius bimaris (Cherso-
nesos Ptolemæo dicitur, & vere est) nunc à Paulo hic vetustissime
cognominatum, in quod is nauem illisit. Ibi non ultimæ
venerationis ædicula lapide extructa. Propter urbem spelunca
est effossa introrsum rupe, duabus intus aris, vbi cum vincitis Pau-
lum tres asseueratum menses referunt, insulanos interim variis
morbis & infirmitatibus vexatos sanantē, & ad CHRISTVM
sua prædicatione vocantem. Præterea (vt hæc insula non solù
ab eo diligi, sed etiam pene incoli, & custodiri videatur) Me-
litæ nullum maleficum serpentis genus nec nascitur, nec vocet
aliunde inuectum: sunt indigenæ quasi terrori serpentibus. Scor-
piones dirum alibi animal, inter manus lascivientium puerorum
conspiciuntur innocui. Vidi qui manderet: Quod Paulo Vipe-
ram admorsō pendentem digito citra noxiam excutienti ferūt
acceptum. Ex eo, quod modo dixi, antro nullo non die per ad-
uenas lapidum frusta effringuntur, quibus serpentum & Scorpi-
onum iætibus tota Aphrica, Italia, & Romæ etiam palæ fæse me-
deri affirmant. Plebs gratiam sancti Pauli nominat. Est insula
Gaulos breuissimo transitu à Melita, latitudine intercurrentis fæ-
ti quinqup milia nō amplius passuum. Parua quidem, ambitu dun-
taxat x x x milia passuum: sed quæ fertilitate non cedit Melite,
cuius Presulem agnoscit. In hac, oppidulum, ad cuius portam
adstrictum est inter cæteros lapides marmoris fragmentum, ve-
tus insulæ nomen indicās. Sic enim scriptum legitur in eo. M.
Gallio C. F. Quir. equo publico exornato à diu Antonino
Aug. pio plebs Gaulitana ex gre conflato ob merita, & in solati-
um Gallii posthumi patroni Municipalis patris eius posuit.

Loquitur hic aperto lapis, de Gaulo male à nonnullis facta Co-
syram. Quam geographicæ omnes inter promontoria Lilybæum,
& Mercurii, hoc Aphricæ, illud Siciliæ, pari penè interuallo re-
ponunt. Nautis hoc tempore Panthalarea nominata, centum à
Melita milibus, quum sit Gaulos ferme contigua. Deceptos hoc
dixisse coniicio Ouidiano illo versu Fastorum tertio. Fertilis est
Melite sterili vicina Cosyræ, Insula quam Libyci verberat vir-
da freti. Dum is Annam fugientem è Carthagine describit: quā
equidem non dubito à promontorio Mercurii (nautæ nunc sua
lingua capòbonò vocant, aduersum Siciliæ, in altum valde pro-
currrens) Cosyram venisse. Nulla enim promontorio vicinior,
abest quinquaginta milibus pass. deinde rectâ quo destinarat Me-
litam ad amicum Regem contendisse. Propterea Cosyram cum
Melitæ


Melita coniunxisse Poetam. Habis Melitam, Sophe dulcissime, pessimis quidem depictam coloribus, & ab imperito pi-
store. Cæterum isthæc leges ociosus & dormitans, interim te-
cum reputans, quid, & à quo describatur: & intelligas Meli
tá non alium Appellé depoposcisse. Vale Sophe charissí
me, peregrinantis, id est, multa post experientia, ea
que tu antè præcipiebas cognoscétis amici tui
memor. Melitæ X X. die Ianuarii, qui
mihi facer & natalis est.

M. D. X X X I I.

Quintinus ex animo tuus.







information in all directions. It is
on the part of the informed to do what
is right, and to make up for
what is wrong. It is
not in the power of John
to do what is right, and what
is right is not in his power.
John is not in control of his
own conduct, and it is not in his power
to do what is right.



